BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
3 Q
1

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
55
3 E
17

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

73.3.57.
73
e
6

12.
17.
i
F2 .11

FRANCISCI MARIAE

VANNOTII

PHILOSOPHI,

ET MEDICI ASCVLANI

DE AQVA MINERALI

Quæ in Piceno propè Aſculum ſcaturit.

SALMACINA

nuncupatà

TRACTATVS

In quo multa etiam ſingularia ex Hippocrate, ad Praxim Medicam plurimum conducentia, tanquam arcana recluduntur.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROMÆ excudebat Maſcardus M. DC. XLII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Medico auctori, & profeſſori præclariſſimo D. Ioanni Benedicto Sinibaldo Auctor D.D.

Autoris dono

EMIN.^{MO} AC REV.^{MO} D.

D. IVLIO GABRIELLIO

S. R. E. CARD. AMPLISS.

Aſculano Epiſc. & Principi.

FRANCISCVS MARIA VANNOTIVS F.

O*BSCVRIS inſcitiæ meæ noctibus illuxit tandem tua Luna, Eminentiſsime Princeps, eà vix Aſculanum Orizontem aſcendente, nonnulli ingenioli mei colores, qui diù tenebris obruti latitarunt, eccè deteguntur, ac reuiuiſcunt. Compoſueram, Eminentiſsime Princeps, duobus ab hinc annis libellum hunc de Aquâ Salmacinâ, eiuſque editionem properanti mihi occulta quædam ſemper obſtiterunt impedimenta. duos integros annos moras ægrè tuli,*

ignorans tuæ Lunæ exortum expectari, malo omine incœptum, perfectumque opus putabam, quod nunc feliciſsimo ſidere natum agnoſco, nimis cæcutiunt noſtri oculi, occultis nimium volentes ducimur, nolentes trahimur ſupernis cauſis; ignoſcas parue liber, nimiâ feſtinatione felicitatem tuam ferè perdidi, plus tu cunctando, quam ego feſtinando, profeciſti. felix, fauſtumque tibi ſit, quos ego tuis chartis non niſi atros colores imprimere potui, candidos; & lucidos à purpurati Principis Lunâ recipere. I felix, tali enim ſplendoris, vt ita dicam, tectorio incruſtatus, & pulcherrimæ lucis albario illitus, magis, quam ſi Cedro ambulares perunctus, & pictis luxuriares vmbilicis, multorum eris oculos oblectaturus; tu verò, Eminentiſsime Princeps, libellum hunc, qui duos integros annos Solis lucem auerſatus eſt, vt tuæ Lunæ radijs litaret, hilari vultu ſuſcipere, nè graueris, & quas illi tenebras ignotum noui auctoris nomen offundit, perantiquâ tui nominis claritate diſcutias. Vale.

Ad

Ad eundem

EMIN.MVM CARD.LEM

Super eius Inſignia

AVCTORIS DISTICHON.

Portentum, Solem vincit tua lumine Luna
Ille vni Mundo ſufficit; iſta tribus.

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs. P. Mag. S. Palatij Apoſtolici.

Io: Bapt. Alt. Epiſc. Camer. Viceſg.

AQuam Salmacinam diuerſiſsimis conuiuarum palatis guſtandam à profundo veritatis puteo hauſtam ab Excellentiſsimo D. Franciſco Maria Vannotio, mandante S. P. A. Magiſtro delibaui, & in ipsâ ſum pergræcatus. Mirum eſt, quantum auctor in Salmacina haud ſalebroſa oratione explicanda, ſalis appoſuerit: menſam hanc tanquam Citream & Acernam ſalsè non minus, quàm ſcitè ſaliaribus Medicinæ dapibus & ſcitamentis extruxit. Accede Lector, manum in menſam porrige, accumbe, fruere, optime pranſus & potus abibis: mellis medullam ſenties: nihilque Ethicæ aduerſum, Religioni abſonum opſonare poteris.

Sylueſter Collicola.

Imprimatur,

F. Reginaldus Lucarinus S. P. Apoſt. Magiſter.

ILLVSTRISSIMIS SEX VIRIS
ASCVLANAE CIVITATIS ANTIANIS
DD. SVIS COLENDISSIMIS.

FRANCISCVS MARIA VANNOTIVS. F.

PROPERATVM, an maturatum Opuſculum: partum nè, an abortum Eminentiſſimo Principi noſtro offeram, ignoro, Illuſtriſſimi Viri; quantà enim celeritate libellus hic natus eſt, tantà tarditate intrà proprios lares latitans, tandem peregrinari cœpit, & lucem aſpicere. vtinam, vt in hac, ità in alijs etiam rebus maſculinos imitetur fœtus, qui vt citius; quam fœminæ, naſcuntur, ſerius tamen, quam illæ, adoleſcunt; ità diutius etiam viuunt, & ſerius quam illæ, conſeneſcunt. vtinam toto hoc tempore, quod tenellis fœtibus accidit, inter vbera matris ludens, & aſſiduo lacte altus, vegetior, ac plenior euaſiſſet. non tam læta illi fronte arriſit Fortuna. immò verò in ipſis incunabulis ferè extinctus, veluti cadauer proiectum tineis, duos annos iacuit, & iaceret etiam num, niſi eius, vt ità dicam, horoſcopum feliciſſimo, ac trino aſpectu Purpurati Principis Luna feriens, ſpiritum, & vitam indidiſſet. itaque ſummoperè vereor, nè abortum potius, quam partum offeram, niſi

reci-

recipientis Principis Luna, quæ eadem eſt,ac Lucina,quę parturientibus prçeſſe dicitur, & veſtra, quam, veluti obſtetricem, libellus hic implorat, humanitas,quicquid perfectionis illi deeſt,largiatur, & ſuppleat. Vix Romà honeſtiſſimo à vobis honorario accerſitus, Aſculum conceſſeram, Illuſtriſs. Viri, cum Opuſculum hoc de Aquà Salmacinà, quam celerrimè potui,lucubraui;tum,vt quantum vobis deberem, externis etiam operibus, non ſolum vobis ipſis, ſed poſteris etiam teſtatum relinquerem; tum vt nonnullorum Ciuium precibus, & hortationibus ſatisfacerem. Noſtis omnes,quam frequens,& communis ſit in hac Vrbe æſtate totà Aquæ Salmacinæ vſus; ſed & noſtis etiam, quam empiricè, & amethodè, inconſultis etiam Medicis, tam generoſo præſidio, non ſinè ipſorum detrimento, & ſaluberrimæ Aquæ infamià, quamplurimi vtantur. hac re permoti nonnulli Ciues, ac præſertim Theodorus Lentus, I.V.D. Vir ob præclaras eius animi dotes omnibus carus, mihique à primæuà ætate perquam familiaris, & ſtudiorum comes, à me enixè poſtularunt, vt tantæ cæcitati conſulerem. mei muneris eſſe aiebant, Ciuium incolumitati proſpicere; aduerſos bonæ valetudini mores profligare; meliores introducere. mei muneris id eſſe, aiebant potius, quam aliorum Medicorum, qui,vel alienigenæ ſunt, vel publico

 ſtipen-

ſtipendio minimè conducti; his rationibus, & multò magis authoritate eorum, quibus plurimum debere fateor, perſuaſus, operæ pretium me facturum eſſe, duxi; ſi ipſius Aquæ Salmacinæ mineram ſcrutarer: vires & facultates cognoſcerem: rectum vſum aperirem; quæ omnia pro ingenij mei tenuitate, & temporis, quà premebar, anguſtiâ, in libellum hunc, quem Eminentiſſimo noſtro Principi offero, congeſſi. Atque vtinam, Illuſtriſſimi Viri, tantum in me fuiſſet ingenij, & eloquentiæ, vt ſaluberrimas huius Aquæ vires, eaſdemque defectu Scriptorum obſcuras, non inquam augere, aut ornare oratione, ſed enarrare, ac aſſequi potuiſſem; profectò non minus celebre foret Italiâ totâ Salmacinæ nomen, quam Tetturiæ, Ficumcellæ, Villæ; nec minus abundarent Romana Pharmacopolia Salmacinæ hydrophoris, quam aliarum. Vos igitur rogo, atque obſecro, Illuſtriſſimi Viri, vt libellum hunc, ſin minus doctrinæ vbertate, ſententiarum grauitate, ſermonis elegantiâ, veſtro dignum Medico exiſtimetis; certè ob meam ergà vos obſeruantiam, non omninò deſpiciatis: quod ſi meos labores non ingratos vobis fore intellexero, maiora & fortaſſè meliora, quæ meditor, me propediem editurum, polliceor. interim valete, & me amate.

AD

AD BENEVOLVM LECTOREM AVCTORIS EPISTOLA.

ANGVSTAM nimis ſcribendi materiam, me nactum eſſe, dices, Amice Lector; miraberiſquè fortaſsè, me mihi tantum, & Aſculanis ceciniſſe; ad eaquè ſcribenda potuiſſe animum appellere, quæ non niſi intrà mœnia Aſculanæ Vrbis Lectorem eſſent inuentura. Quid enim alijs, inquies, cum Aquà Salmacinà, quà facilè carent, quamquè ignorant ſinè detrimento? ità ſanè eſt, Lector, vltrò fateor, profiteorqu; verum hinc tu colligas, me non ex animi mei ſententia, in hoc argumento eſſe verſatum; nequè enim eà ſum animi moderatione, ac ità omnis gloriæ contemptor, vt non exoptem, ſicut cæteri homines, mea ſcripta ad exteras etiam Nationes peruenire, ac toto terrarum Orbe legi. Amicorum precibus, quibus, erubuiſſem, non obtemperare, prouinciam ſuſcepi, ac Deo dante, vt vt potui, ad exitum perduxi. Si Aſculanus es, qui legis, fruere meis laboribus: dediſce empiricum Aquæ Salmaci-

uæ vſum; & eam in poſterum maiori cum conſilio, atque rectà Methodo, ad tuas ægritudines accommoda. ſi verò extraneus; vnum te rogatum ſinas, nè inſpecto Opuſculi huius duntaxat titulo, aliena, ac tibi parum profutura continere libellum, protinus iudices, ac eùm è tuis manibus proijcias. vnum quæſo prius, vel alterum caput (res eſt non magni laboris) percurre. multa præter expectationem fortaſsè inuenies, quæ te non indelectabunt; multa fortaſsè, quæ etiam iuuabunt, & ad totius operis lectionem allicient.

Vniuerſum hunc tractatum diſtinctionis, & claritatis ergò, inplura capita diuiſi, capita verò in plures numeros, ſeù partes; & quia doctrinæ ordo poſtulat, vt ab vniuerſalioribus ad minus vniuerſalia procedatur, inſtitui primum caput de Aquà ſimplici in communi, in quo præter alias virtutes, mirificis eam pollere viribus medicinalibus, ad omnes ferè morbos curandos, aptiſſimis, grauiſſimorum Auctorum teſtimonio comprobatum inuenies. hinc ad Aquam Mineralem, vniuersè etiam acceptam, in ſecundo cap: gradum facio, vbi, quo pacto minerales Aquæ generentur, & quomodo Mineralium vires concipiant, & quibus indicijs, latitantes in aquis medicatis mineræ deprehendantur, pro viribus explico. neque in his duobus capitibus non omnia ad amuſſim, quæ de propoſitis illis argumentis dici poſſent, me in medium afferre, quiſpiam conque-

†

ratur,

ratur; cum de illis datâ operâ agere, mei inſtituti non ſit, ſed quatenus tantum ad Aquæ Salmacinæ cognitionem, vel rectum vſum conducant. tandem, quod primariò intendi, & meis hiſce lucubrationibus obiectum adæquatum propoſui, ipſam videlicet Aquam Salmacinam, 3. cap: aggredior, & initium ſumens à deſcriptione loci, & fontis, vndè ſcaturit, omnibuſquè eiuſdem Aquæ conditionibus, & qualitatibus ſenſui manifeſtis hiſtoricè collectis, ex ijs ipſius mineram, & facultates deinceps elicio. poſtremò, quibus ægrotantibus ſit vtilis; quibus noxia; quæ ſymptomata, ſiquis eà perperam vtatur, ſoleat inferre, quibus medicis præſidijs ſit illis occurrendum, & alia multa ad rectum Aquæ Salmacinæ vſum facientia, quæ ad alias etiam aquas minerales, potui aptas, extendi poſſunt, ad finem vſquè libri per plura capita ſeorſim proſequor. pro re natâ varias intermiſceo digreſſiunculas; modò difficiles quoſdam Hipp: tex: interpretans; modò eiuſdem, vel aliorum antiquorum contradictiones ſoluens; hic germanam quidem, ſed temporum iniuriâ exoletam aliquam Hippocratis doctrinam in lucem reuocare; ibi recentiorum errata, & abuſus, qui in Artem Medicam irrepſerunt, conor explodere. eà tamen animi moderatione hæc omnia, & ità veritatis amore duntaxat impulſus, vt ſi quis non nulla reprehenderit, & meliora docuerit, adeò non ſim ægrè laturus, vt infinitas potius ſim illi habiturus gratias; Neque

enim tantum mihi tribuo, vt ſuprà alios ſapere; nec ab alijs me poſſe doceri, profitear. Præfixi huic Opuſculo has Clariſſimorum Virorum Epiſtolas, alteram Angeli Colij Senenſis, alteram Pauli Zacchiæ Romani, alteram Antonij Mariæ Rubei Rauennatis; Doctiſſimi hi, atque humaniſſimi Viri, Medici Romæ primarij, quorum integerrimo iudicio libellum hunc, priuſquam communem lucem aſpiceret, ſubieci, non modò oretenus, ſed humaniſſimis etiam, quas vides, partim ad me, partim ad Ioſephum Iulium datis epiſtolis, illum approbarunt, meque de eius editione timidè cogitantem, laudis ſtimulis inuitarunt, coegerunt. Maiora profectò huic libro ornamenta detraxiſſem, ſi tantorum Virorum iudicio, ac teſtimonio, primas ipſius paginas fraudaſſem. his nimirum prælucens radijs, inuidorum caligines, & noctes non perhorreſcet: tanto delibutus odore, tineas inertes non formidabis. Vale.

† FRAN-

FRANCISCO MARIAE VANNOTIO ASCVLANO

ΑΡΙΣΤΩ ΙΗΤΡΩ

ANGELVS COLIVS SENENSIS Medicus in Vrbe

εὖ πράττειν.

TRACTATVM tuum de Aquà Salmacinà in Agro Aſculano ſcaturiente maximà cum voluptate perlegi, ipſumq; ſolidiſſimæ, ac ſelectiſſimæ doctrinæ plenum, agnoui, Hippocraticorumquè dogmatum, quibus vniuerſa in illo contenta, ad amuſſim cohærent; Gaudere propterea tibi ipſe poteris, vt ego tibi, & gratulor, & gratias ago, quòd illum mihi communicaueris; dudum noſti, me non eum eſſe, qui, vt ſeruiam amicorum auribus, veritatem ipſam, auſim, vulnerare. Profectò ἄριστον μὲν ὕδωρ, ſimplex corpus ſi intelligamus, ſcilicet, à quo vita mortalium pendeat, torquè ab eo proficiſcantur bona, quot tu diſertè numeras, ſed vtens libertate loquendi οὐκ ἐκ τοιαύτης γῆς ὕδατα Pindarus. Hippocrates.

ἀγα-

de Aere 13. ἀγαθὰ γίνεται, ἐκ τοῦ θείου γίνεται. & propterea iſtam tuam aquam non bonam dicerem cum Hippocrate, neque vllam aliam mineralem; niſi illi de Arte 7. accedat rectus, & conueniens eius vſus, quo quantumuis peſſima, & etiam venena ipſa, euadunt remedia, & antidota; ideò fortunata Salmacina lympha, te ſuum nacta moderatorem, quo mortis apparitores morbos fugat, atquè diſperdit, eos etiam contumaciores, qui Medicam artem eludunt, & noſtra ingenia non raro torquent, Podagram loquor, quam ſi non percurat, eam tamen inhibet, & minuit iſtius fontis vnda, quemadmodum tu rationum momentis euincis, Medicorum perſtringens vulgus (à quibus malè in calidam, & frigidam diuiditur) doceſquè, illam ſemper à cauſa calida excitari. Prius nouit hanc veritatem Maphæus Barberinus, quem nunc ſub VRBANI VIII. nomine, Pontificem Optimum, Maximum Vniuerſus terrarum Orbis veneratur, & colit, qui in Ode lepidiſſima, cui titulum fecit, leuamen Podagræ, quia ad Clementem Octauum Podagrà laborantem, eam inſcripſit, non minus philoſophica grauitate, quàm poetico lepore, Podagram deſcribens, inquit

Gliſcit in neruis dolor, & per artus
Igneus ſerpit vapor. &c.

Gal. in Introd. cap. 1. Ità quidem accidit, vt licet Æſculapius Medicinam

cinam perfectam, & omnibus numeris abſolutam ſolus inuenerit, & Hippocrati ἀνδρῶσθαι ὅλη eſſe videatur; inueniendorum tamen remediorum nullus vnquam finis erit, tum propter inauditos morbos, & nulli viſos, tum quia ex noui Orbis partibus, ex Chymicorum officinis, & ex hominum Dædaleis ingenijs noua quotidiè habemus non amplius viſa, nec excogitata remedia, quæ licet Artem Medicam non perficiant, non augeant (conſtat enim hæc, & ſubſiſtit duntaxat ſuis præceptis, & proprijs dogmatibus, theorematibuſquè ſempiternæ veritatis, ijſquè ſolis innititur, & ſuſtinetur) remedia tamen plura ſi ſuppetant, ſi ſint numeroſa, Artem reddunt opulentam magis, ac diuitem, quemadmodum hoc noſtro ſeculo Aquà Salmacinà abs te ad vſum Medicum reuocatà, tuoq; beneficio beneficà futurà, Ars Medica redditur locupletior, & vberior, habebit enim in poſterum iſtud nouum medicamentum δύσπορον, δυσπόριστον, καὶ πολύχρηστον. At verò non haberet, niſi tractatum hunc tuum prælo committi permittas, & Reipublicæ Medicæ ocyus communices. τέχνης μὲν γὰρ πάσις ἀλλότριον ἀναβολή, in Medicina autem eſt ψυχῆς κίνδυνος ἡ ὑπέρθεσις. Fateor quidem θεραπευτικὴν ἀτεχνίαν σημαίνειν, tu verò minimè audes tui tractatus editionem, quinimò eam maximè protrahis, licet omnes docti viri, qui-

Hipp. de loc. in hom. 57. de Vet. Med. 3.

Hipp. epiſt. 16. n. 19. de lege n. 3.

bus

bus illum videre, licuit, cum comprobent, commendent, & expetant quamplurimum, teque propterea vehementer hortentur, diutiùs nè patiaris, ipſum in tenebris latere, præſertim cum multa quotidiè committantur errata in iſtius aquæ vſu, cum ſanitatis iactura tuorum Conciuium, imò quandoquè cum vitæ diſcrimine, quorum malorum tu quodammodo videris eſſe cauſa, cui publico conſtituto honorario, tanquam Æſculapio Aſculanæ Ciuitatis cura demandata eſt. Vale. & alia, quæ apud te habes, & adhùc meditaris in Hippocratem, ad praxim quamplurimum conducentia, perfice, & abſolue; vt ea immortalitate quidem, & publicà luce dignissima, æternitati pariter conſignare, & velis, & valeas. Dabam ipsà S. Catharinæ Senenſi dicatà die MDCXLI.

AD-

ADMODVM ILL.[RI] ADMODVMQ. R. D.

D. IOSEPHO IVLIO

NOBILISSIMÆ CIVITATIS ASCVLANAE AGENTI VIGILANTISSIMO.

PAVLVS ZACCHIAS MEDICVS ROM. F.

OBTVLISTI mihi Auctoris nomine legendum tractatum de Aquà Salmacinà Nobiliſsimæ Patriæ Tuæ Franciſci Mariæ Vannotij; vix autem priores paginas perluſtraueram, cum lectionis dulcedine pellectus, totum auidiſſimè perlegi. Quanam autem Hyblæi Mellis, quanam Ambroſiæ, quanam Nectaris ſuauitas eam æquiparare poteſt, quam ex ea lectione percepi? diſperëam, ſi non omnia ſuis leporibus Venerem perfudiſſe, Gratias condijſſe, diceres. Deus bone, quæ dicendi facundia, qui loquelæ candor, qui verborum nitor, quæ ſtyli claritas, quæ rerum diſpoſitio, quæ docendi grauitas, quæ ingenij perſpicacitas in omnibus eluceſcit? Quid igitur ſibi vult Auctoris de ſe, ſuiſque rebus nimis modeſtè ſentientis timor, nè minus acceptus ſuus hic labor futurus ſit, quòd paucis ſcripſerit?

bono animo, iube, illum eſſe, non paucis ſe ſcripſiſſe, ſciat, cum omnes delectet, nec fieri poteſt, vt qui omnes delectat, omnibus non ſcripſerit. Interim obſecro Te vir, & eiuſdem Auctoris, & mei amantiſſime, vt illum non modo dictis inſtiges, hortationibus impingas, ſuaſionibus, ac precibus impellas, ſed vt omninò cogas, at cogendum per Patriæ tuæ nobiliſſimæ Moderatores Illuſtriſſimos cures, vt & hæc, & alia, quæ habet opera, perpetuâ luce digniſſima, quamprimum publici Iuris faciat, hoc enim pacto, & Amici, & Patriæ honori, & bonorum omnium deſiderio, & publicæ vtilitati optimè proſpicies. Vale, & Auctorem, cuius amicitiam iam magni feci, & nunc multò pluris facio, maiorem in modum mihi in dies beneuolum redde. Romæ xij. Kalend. Maias MDCXXXXI.

PER

PERILL.[RI] ET EXC.[MO] D.

FRANCISCO MARIAE VANNOTIO ASCVLANO.

ANTONIVS MARIA RVBEVS RAVENNAS Hieronymi Filius.

QVAM opinionem de ſummo ingenio tuo viri doctrinà, & certè Medicà præſtantiſſimi ſuſceperunt, abs te non modo ſuſtineri, ſed etiam ſuperari, tuus iſte de Aquà Salmacinà tractatus, meo quidem iudicio, atteſtatur, in quo & communem aquarum ſimplicium rationem, & peculiarem, reconditamq; huius naturam, ac præſtabiles facultates exponens dilucidè, pro ſanitatis vel conſeruatione, vel recuperatione, ita facilem, tutam, ac ſuauem oſtendis ipſius adminiſtrationem, vt populares in eius vſu errores detegas, coarguas, omninò euellas. Quæ cum explicas, appoſitè multiplicem inſeris rerum eruditionem, & inter omnifariæ lectionis ornamenta, plurimarum ſententiarum enodationem, præcipue verò Prin-

cipis Medicorum Hippocratis dicta multa, quæ aut inter ſe diuerſa, ac repugnantia, aut flexiloqua videri poſſint, ad meram claritatem redigis, & concordiam. At neque parerga multa includis, vt cadere hùc poſſit illa Ariſtotelis reprehenſio, quod plura ſint ſumpta extrinſecus ornamenta, quam quæ ad ipſum opus pertinent, neque dictionem ſequeris, aut abiectam, aut barbaram, aut longè translatam, aut inuſitatis vocibus refertam, vndè fiat obſcurus, & inuolutus ſermo, qualis à Galeno ipſo damnatur, ſed elocutionem adhibes perſpicuitate, concinnitate, & grauitate ſummoperè commendandam. Quod autem pertinet ad ipſius veritatis firmitatem, quas opiniones in medium affers, non illas quidem abſurdas, & abſonas, ſed fideles, ac ſolidas, vel exquiſitiſſimis rationibus fundatas, vel authoritate munitas doctiſſimorum virorum, Hippocratis noſtri maximè, in quo te apparet eſſe quam verſatiſſimum, vel multis ſuffultas experimentis feliciſſimè roboras, & confirmas: Illud verò ego plurimi facio, quod, te vnius Aquæ Salmacinæ vim, atque vſum patefaciente, facilè patet vnicuique ratio cęteras Thermales aquas, & dignoſcendi, & rectè adminiſtrandi. Quamobrem tuam eiuſmodi lucubrationem maximos vniuerſitati fructus allaturam, nulla ratione puto intrà domeſticos parietes continendam, quæ

Lib. 1. ethic. c. 7.

Lib. 1. de facul. nat. cap. 1. & 4. acut. tex. 18.

tua

tua erat ſententia, ſed publici iuris quam primum faciendam eſſe, ſuadet hoc, imò imperare quodammodo videtur, Patriæ, quæ tibi cariſſima eſt, amor ſingularis, charitas; quà exardeſcis in proximos; & ſumma, quà cęteræ virtutes tuæ quaſi coronantur, in Deum pietas, & religio. ego vero, ſi quid amicitiæ noſtræ dandum putas, vehementer etiam, atque etiam te rogo, & obſecro, vt non hunc modo tractatum tuum, qui magnoperè expectatur, typis permittas excudendum, ſed illas etiam, quas in Hippocratem doctiſſimè, & copioſiſſimè conſcripſiſti expoſitiones fœcundiſſimo ingenio tuo digniſſimas. Atque illud confirmare non dubito, eruditorum fore neminem, cui proptetea tanquam inanis gloriæ cupidus in ſuſpicionem venias, neminem, qui non gaudeat priſcam, ſolidamque doctrinam, vel iniurià temporum labefactatam, vel hominum incuria iam penè obſoletam per te inſtaurari, & quaſi in priſtinum reuocari. Illud poſtremò non eſt mihi prætereundum, me tibi eo nomine debere plurimum, & gratiam habere quam maximam, quod me lucubrationum tuarum participem facere non deſinis, quippè ità, & amorem in me, & iudicium de me tuum præ te fers, quorum ille voluptatem, hoc exiſtimationem mihi affert non mediocrem. Vtinam Deus Optimus Ma-

ximus ingenij tui vigorem, ac vires tueri, & indies augere, animi alacritatem ad alios labores ſubeundos, proſperà valetudine, & rebus ſecundiſſimis diù fouere dignetur, quo laudatiſſimos ſtudiorum tuorum conatus, cum publicà mortalium vtilitate ad exitum feliciter perducas, quod opto, & voueo. Vale, & me ex intimo ſenſu, quod facis, mutuò dilige. Romæ.

AV-

AVCTORES

Qui in hoc Opere citantur.

HIPPOCRATES.

A

AETIVS.
Amatus Luſitanus.
Angelita.
Angelus Victorius.
Ariſtoteles.
Auenzoar.
Auicenna.
Aurelius Minadous.

B

Baccius.
Baldus Baldius.
Bartolettus.
Beguinus.
Beniuenius.

C

Campanella.
Carolus Piſo.
Caleſtanus.
Celſus.
Cæſalpinus.
Cicero.
Claudinus.

D

Daniel Sennertus.
Dioſcorides.
Doringius.
Duretus.

E

Euſtachius Rudius.

Fer-

F

Fernelius.
Foreſtus.
Franciſcus Pamphilus.
Franciſcus Valleſius.

G

Galenus.
Gabriel Fallopius.
Gaſpar Hofmannus.
Gellius.
Guainerius.

H

Hector Boetius.
Heurnius.
Horatius Flaccus.
Horatius Augenius.
Hieronymus Capiuacceus.
Hieronymus Cardanus.
Hieronymus Fracaſtorius.

I

Io: Schenchius.
Io: Baptiſta Montanus.

L

Lucianus.
Lucius Paduanus.
Ludouicus Mercatus.

M

Manardus.
Marcellus Ioanettus.
Marianus Ghezzius.
Maſſaria.
Matthiolus.
Mercurialis.
Monardes.

N

Nicolaus Maſſa.

O S

ORibaſius.
Ouidius.

P

PAulus Ægineta.
Paulus Zacchias.
Paracelſus.
Plinius.
Philippus Palatius.
Proſper Martianus.

Q

QVercetanus.
Q. Serenus Sammonicus.

R

REnodæus.

SAuonarola.
Sclauettus.
Scheunemannus.
Septalius.
Solenander.
Strabo.

T

THeophraſtus.
Trallianus.
Trincauellius.

V

VArro.
Virgilius.

Z

ZAcutus.
Zoroaſter Tinellus.

IN-

INDEX CAPITVM.

DE Aquà ſimplici incommuni, & viribus eius medicinalibus, verè admirandis. Cap. I. pag. 1

De Aquà minerali in communi. Cap. II. pag. 14

Deſcriptio loci, & fontis, vndè ſcaturit Aqua Salmacina. Cap. III. 24

Quanta fuerit olim æxiſtimatio, & fama Aquæ Salmacinæ. Cap. IV. 29

De Aquæ Salmacinæ nomine, & eius etymologia. Cap. V. 36

Quæ nam ſit Aquæ Salmacinæ minera. Cap. VI. pag. 41

De Aquæ Salmacinæ Viribus. Cap. VII. 50

De rectò Aquæ Salmacinæ vſu. Cap. VIII. 59

Expenduntur reliquæ conditiones ad rectum Aquæ Salmacinæ vſum pertinentes. Cap. IX. 69

De victus ratione ſeruandà in Aquæ Salmacinæ potu. Cap. X. 78

De corrigendis ſymptomatibus, quæ Aquæ Salmacinæ

cinæ potum interdum ſequuntur. Cap. XI. 86
De alijs corrigendis ſymptomatibus, quæ Aqua Salmanina ſolet inferre. Cap. XII. 98
Explicatur Hippocratis tex. lib. de Aer: Aq. & loc: & num aqua ſimplex, Aquæ Salmacinæ loco, & modo exhiberi poſſit. Cap. XIII. 108
Vtrum Aqua Salmacina conferre poſsit ijs, qui calidâ Iecoris intemperie laborant. Cap. XIV. pag. 115
Vtrum ijs qui nephriticis paſsionibus ſunt obnoxij, & è renibus lapillos, arenulaſque excludunt, Aqua Salmacina prodeſſe poſsit. Cap. XV. pag. 125
Vtrum veſicæ calculo laborantibus Aqua Salmacina ſit vtilis. Cap. XVI. 138
De recto Aquæ Salmacinæ vſu aduerſus ſcabiem, & pruritum. Cap. XVII. 146
An Podagrici quicquam vtilitatis recipere poſsint ab Aquâ Salmacinâ. Cap. XVIII. 162
An Aqua Salmacina conferre poſsit ſiticuloſis. Cap. XIX. 177
Vtrum Aqua Salmacina æſtiuas cibi inappetentias corrigere poſsit. Cap. XX. 186
Vtrum Aqua Salmacina pertinaces vigilias expugnare poſsit, & ſomnum conciliare. Cap. XXI. pag. 194
Vtrum Aqua Salmacina nimiam ventris ſtypticitatem corrigere poſsit. Cap. XXII. 204

An

An lues Venerea Aquæ Salmacinæ potum prohibeat Cap. XXIII. 217

An ſteriles mulieres adiumenti quicquam ad concipiendum recipere poſsint ab Aquà Salmacinà. Cap. XXIV. 224

Quæ hactenus de Aquæ Salmacinæ viribus dicta ſunt, obſeruationibus, & experimentis comprobantur. Cap. XXV. 236



DE

DE AQVA SALMACINA TRACTATVS.

De Aqua ſimplici in communi, & viribus eius medicinalibus verè admirandis. *Cap. I.*

1 AQVA corpus ſimplex, & elementare, frigidum, & humidum valdè fluidum, diaphanum fuſo criſtallo perſimile, tanti in rerum omnium vniuerſitate eſt vſus, & potentiæ, vt præcipuum Dei munus, ac liquidiſſimum Diuinæ omnipotentiæ ſpeculum poſſit appellari. Nuſquam potentia maior (inquit Plin. lib. 31. cap. 1.) quippe hoc elementum cæteris omnibus imperat: terras deuorant aquæ: flammas necant: ſcandunt in ſublime, & Cœlum quoque ſibi vindicant. Vbi nam elementorum diuerſitas maior? excurrunt aquæ in

Aquæ Natura, & potentia.

flumina: expanduntur in lacus: demerguntur in puteos: colliguntur in ciſternas: aſſurgunt in fontes: euaporant in nubes: decidunt in pluuias: inſtillantur in rores: incraſſantur in niues: concreſcunt in glacies: obrigent in cryſtalla: ſplendeſcunt in vniones.

Aquæ vtilitas.

2 Si tellurem ſpectet ſine aquis, lybicas, & ſteriles ſpectabis arenas; eadem aquis irrigata, fœcunditatis plena, tot partus explicat, quot ſunt flores, folia, arbores, fructus, quibus ad ſui, & totius Vniuerſi pulchritudinem, ad animalium eſcam, & medelam abundat. tot piſcium genera, ſquamoſa, teſtacea, mollia, inſignis magnitudinis, minimæ molis, natantia, ſcopulis affixa, in quibus formæ tam variæ, tam diuerſæ relucent figuræ, aquarum opes ſunt.

Aquæ effectus admirandi.

3. Omitto peculiarium fontium, & aquarum vires admirabiles, quarum nonnullæ, tanta vi pollent petrificandi, vt & quamcunque rigant, lapideam faciant terram, vt de fonte quodam in Perperenis narrat Plin. lib. 31. cap. 2. & ligna, & alia omnia in ſaxum conuertant; immo, & in ſe ipſas ſæuientes in medio curſu reſtitent, & immobiles lapideſcant, vt de alio Arcadiæ fonte ibidem ex Varrone ſcribit Plin. contra aliæ reperiuntur aquæ, ſaxa, & marmora etiam duriſſima, immò, & æs, & ferrum atte-

A rentes,

rentes, & corrodentes, vt de fonte quodam in Theſſalia ibidem ſcribit Plin. De virtute auium procreatrice maris Scotici mira narrat Hæctor Boetius in Deſcriptione Regni Scotiæ.

4 Quid, quod ad religionem vſque ſunt aquæ admirabiles? riuus in Iudæa Sabbatis omnibus ſiccabatur, ex Plin. ibidem, quaſi proprio exemplo accolas doceret, ea die ab omni opere deſiſtendum fuiſſe. Celebris eſt apud Medos ex eodem, Neptuni fons piſces vehens fatidicos, à quibus accolæ ſumma cum religione reſponſa petunt; nec mireris pro oraculis haberi mutos piſces; cum non minus muta ſint cadauerum exta, & ſaxea Ethnicorum ſimulacra, ſed his inquam, plurimiſque id genus miraculis omiſſis, vtpotè ab inſtituto noſtro remotioribus, communes aquæ ſimplicis in nos vtilitates breui intuitu percurramus. Aquæ ad Religionẽ vſque admirabiles.

5 Hæc non ita pridem in lucem editis infantibus aeris inclementiam calidis lauacris temperans, materni ſinus iucundum teporem ferè reſtituit: hæc ſordes abluit: hęc nutrit, vel certè nutrimentum alendis partibus diſtribuit: Siti enectos recreat: Fame oppreſſis Vrbibus commeatus vehit: ægrotantibus omnibus ſanitatem impertitur. Nouit inter Neotericos ſaluberrimas aquæ vires ingenioſiſſimus Carda- Aquæ in nos beneficia.

nus, qui in eo libello, quem de Aqua edidit, ferè ſemper in hoc argumento verſatur, poſſe morbos omnes aqua curari.

Aquis vſus maximus in medicina.

6 Quam tuta, facilis, & iucunda noſtra foret medicina, ſi relictis periculoſis Paracelſiſtarum mineralibus, & inſuauibus Galenicorum vegetabilibus; nec ab Aromatariorum fide dependentes, pro incertis, & ſcrupulatim factis exoticorum medicamentorum compoſitionibus, ſola, & ſimplici aqua mederemur, an tenui nimis, & anguſta, nec ad morbos omnes curandos ſatis inſtructa vteremur ſupellectili? auſim affirmare vix vllum dari morbum, qui facili hoc ſimplici, & iucundo præſidio curari nequeat.

Aqua febres curat.

7 Febris vniuerſalis morbus, quo non alius frequentius humanum genus inuadit, & Medicorum ingenia ſollicitat, nullo melius curatur præſidio, quam aqua ſimplici. modò calida ad ſudorem proliciendum (quæ frequentiſſima febrium criſis eſt) vt ea vtitur Hipp. extrinſecè quiddem 7. Aph. 42. & lib. de loc. in hom. num. 38. intrinſecè verò eodem lib. de loc. in hom. num. 39. modò frigida ad extraneum calorem immediatè, vel extinguendum, vel temperandum, vt idem Hipp. lib. 2. de morb. n. 36. immò tantum tribuit Gal. aquæ frigidæ potui

in quarundam febrium curationibus, vt 9. Meth. med. cap. 5. illum æquiparet venæ ſectioni, appelletque maximum præſidium, ſimul alterans, & euacuans, cum non ſolum humectare, ac refrigerare poſſit, verum etiam aluum ciere, vomitum, & ſudorem prouocare, vt experientia confirmat.

8. Si particulares morbos, ſiuè internos, ſiuè externos percurramus, aquæ potentiam in ipſis curandis meritò ſuſpiciemus. Capitis imbecillitati frigidæ ſtillicidio ſuccurrit, Celſ. lib. 1. cap. 4. immò, & grauedines, & diſtillationes, & aſſiduas lippitudines, tonſillaſque ſola aqua frigida curat idem Celſ. eod. lib. 1. cap. 5. capitis dolori, ac vertigini quantum conferant aquæ potus, & capitis ex aqua lotiones, videre eſt apud Hipp. lib. de Affect. num. 2. capitis grauitatem ab aqua ſolui ſcribit Hipp. 5. Aph. 22. in phrænitidis curatione tantum tribuit aquæ idem Hipp. lib. de Affect. num. 10. vt ea, & intrinſecè vtatur pro potu, & extrinſecè pro capitis lotionibus, ac fomentis, eius vires expertus fuit Meto apud Hipp. 1. Epid. ægr. 7. qui cum delirus eſſet, & inſomnis, capitis lotionibus vſus dormiuit, ac reſipuit. Morbi particulares interni curantur aqua.

9 Vigilias morboſas calidarum aquarum balneis curat etiam Gal. 2. de loc. aff. cap. vltimo, Aqua ſomnum conciliat.

mo, immò pedum dumtaxat, & crurum lotionibus ſomnum conciliari, practici omnes experiuntur. Ad neruorum diſtenſiones,& conuulſiones frigidæ aquæ perfuſione vtitur. Hipp. 5. Aph. 21. hydrophobiam, atrociſſimum morbi genus,& remedijs omnibus intractabile, repentinus, & inopinatus frigidæ piſcinæ ingreſſus expugnat, ſi credimus Celſo lib. 5. cap. 27.

Aqua hydrophobiā ſanat.

10 Laſſitudines dulcium aquarum lauacra eximunt ex Gal. 2. de ſimpl. med. fac. cap. 25. ſi oculi doleant,& mordacibus lacrymis exaſperentur; quid alba Raſis collyria, cum, & ſine opio; quid alia ex tutia, cæteriſque id genus parata quærimus, cum ſola aqua calida nobis præſentaneo poſſit eſſe auxilio, ex Hipp. lib. de humid. vſu num. 11. Dentibus, & gingiuis quantum proſit aqua frigida, patet ex illis Q. Sereni Sammonici verſibus.

Aqua confert oculis & dētibus.

Sæpe etiam gelida gingiuas collue lympha.
Dentibus vt firmum poſſis ſeruare vigorem.

11 Sanguinis è naribus profluuia, interdum prius hominem iugulantia, quam ſiſti poſſint, nullis præſidijs cedentia, non vinculis inferiorum partium, non aſperis frictionibus, non cucurbitulis, non ſtipticis medicamentis, ſiuè fronti, & temporibus, ſiuè naribus ipſis adhibitis, ſola frigida aqua ſæpe cohibentur, vel faciei

Aqua ſiſtia ſanguinis profluuia.

affuſa,

affuſa, quod præſidium deſumitur ex Hipp. 5. Aph.23. vel etiam balnei loco pedibus, & cruribus circumfuſa, vt Abbatiſſam Monaſterij Styli exanguem redditam, ne quicquam proficientibus medicis ad ſanitatem, ac vitam ſe reuocaſſe gloriatur in ſuis Medicinalibus acutiſſimus Campanella lib.6.cap.8.art.4.

12 Ad pleuriticos accerſiti Medici, vt laterum moleſtos, ac pungitiuos dolores leniant, fomenta illico præſcribũt ex decoctione chamæmeli, meliloth. Anethi, ſem. lini, fænu græci, & ſimilium, quæ totas ægrotantium domos malo odore complent, cum tamen ad manus habeant aquam calidam omnium fomentorum optimum, vt docet Hipp. lib. de rat. vict. in acut num. 11. qui lib. etam de humid. vſu num. 5. malum odorem reprehendit in fomentis. Si quis lypothimia, ſeù ſyncope correptus expalleſcat, morienti ſimilis cadat, voce deſtituatur, ſenſu, motuque priuetur, mirum quam citò ſola frigidæ aſperſione veluti reuiuiſcat, tam certam perniciem, quis niſi expertus crederet, tam leui præſidio paucis aquæ frigidæ guttulis momentò extingui? Aqua eſt optimum fomentum. Aqua aduerſus ſyncopem.

13 Tabidi, & arefacti ex temperatis, & iucundis aquæ ſimplicis balneis; potius quam ex Aromatariorum ollis, bonum habitum, & co- Aqua Tabidos iuuat.

lorem

lorem recipiunt, vt norunt Medici omnes, docetque Gal. 2. Meth. med. cap. 6. Ventriculi imbecillitati aqua frigida occurrit Celſ. lib. 1. cap. 9. ſi ventriculus tardè concoquat, ſi in eo cibus aceſcat, ad aquam frigidam confugit, idem Celſ. lib. 1. cap. 8. ad ventriculum per os euacuandum, ſi prauis infeſtetur humoribus, ſola aqua tepida cum ægrotantium iucunditate, ac fælici ſucceſſu vtitur Gal. 12. Meth. med. cap. vlt. frigida verò Hipp. 4. epid. num. vlt. vomitus contra ſuperfluos, immò choleram ipſam pernicioſiſſimum malum, largo aquæ frigidæ potu curare ſolebat Hipp. vt videre eſt 5. Epid. hiſt. famulæ Oneſidemi, cibi faſtidium aqua tolli, eademque homines voraces fieri notat Hipp. 6. Epid. ſect. 4.

Aqua confert ventriculo.

14 Dyſenteriam, ſi pluribus diebus alia remedia nihil contulerint, aquæ bene frigidæ potione aſſumpta illicò curari, docet Celſ. lib. 4. cap. 15. idque prius adnotauit Hipp. 5. Epid. hiſt. vxoris Antimachi, quæ ideo dyſenterica obijt, quia aquam bibere non potuit, & ſe expertum fuiſſe narrat Amat. Luſit. cent. 2. curat. 46. Et quod admirabilius eſt, ſæuiſſimos etiam colicos dolores, non ſolum calidis aquæ balneis, ſed cum ferè ſemper à Medicis calidis præſidijs, flatuſque diſcutientibus tractari ſoleant,

Aqua curat dyſenterias.

Aqua curat colicos dolores.

leant, interdum ſola aqua frigida, vel intus per os aſſumpta, vel extrà abdomini adhibita feliciter curari, notat Zaccut. lib. 2. ſuæ Praxis obſ. 25. ac duas huiuſmodi curationes à ſe feliciter adminiſtratas refert Septal. in ſuis lib. 7. num.81.cautionibus,& animaduerſ.med.idemque prius adnotauerat Amat. Luſit. Cent.1.curat.48.& Foreſt. lib.21. obſ.12. Nec deeſt tam ancipiti præſidio antiquorum etiam authoritas, cum non ſolum Paul. Ægin. lib. 3. cap. 43. & Alex. Trall. lib. 10. ſed ipſe etiam Gal. lib. 12. meth. med. cap.7. illud vſurpet.

15 Teneſmos inſeſſibus, clyſteribuſque ex aqua calida ſedari, omnibus notum eſt, clarèque docet Celſ.lib.4. cap. 18. Nephritici dolores ex renum calculis, nullo melius præſidio miteſcunt, atque dulcis aquæ calidæ fotibus, vel balneis; nec vllo præſeruatiuo remedio melius præcauentur, quam aquæ calidæ antè alios cibos potione; quod præſidium ab Alex. Trall. deſumptum lib. 9. cap.4. vel etiam ab Ætio hodie apud calculoſos celebre eſt; immò non ſolum renum calculis, ſed ventriculi etiam imbecillitati, & venarum meſeraicarum obſtructionibus, idem præſidium mirificè conferre, & eſſe Hiſpanis populis vſitatiſſimum ſcribit Bartolet. parte 2. ſuæ Encycloped. tract. de potu, Aqua confert Nephriticis.

illudque acceptum refert Auicennæ.

Aqua confert Podagræ.

16 Podagrę, Chiragrę, vè primo veris tempore (vt Luciani verbis vtar) eiulatus ſacrificant eius myſtæ miſerabiles; nec vllo herbarum ſucco, vllo vnguine adamantinam ſæuæ Deæ mentem queunt flectere; digni, qui fortius torqueantur, dum mille quærentes medicamentorum artificia, a quam ſimpliciſſimam, quę vera eſt podagræ antidotus dedignantur. hęc ſiuè calida, ſiuè frigida, dolentibus articulis affuſa, dolores mirificè præ alijs omnibus præſidijs ſedat, vt videre eſt apud Hipp. de calida quidem lib. de humid. vſu num. 11. de frigida vero 5. Aph. 25. immò & pro potu loco vini vſurpata podagricorum dolorum recurſum inhibere, & totius vitæ ſecuritatem præſtare, norunt omnes medici, & expertus fuit ſuo tempore Eminentiſſimus vir Hieronymus Bernerius noſter olim Epiſcopus, & propterea Cardinalis Aſculanus nuncupatus, vt teſtatur Proſper Martian. qui eius ſanitati præfuerat in ſuis notationibus ad Hipp. 6. Aph. 28.

Morbi particulares externi, curãtur aqua.

17 Quibus nam morbis externis aqua vel frigida, vel calida non auxiliatur? eryſipelata, frigida ſedat ex Hipp. 5. Aph. 23. papulis rubicundis prodeſt ex eod. lib. de humid. vſu nu. 10. articulos induratos in vtriculum infuſa, & cali-

da

da adhibita emollit; phlegmones ad ſuppurationem ducit; Oedemata reſoluit; Oſſium fracturis, vlceribus, erpetibus prodeſt ex eod. lib. de humid. vſu num. 11. quin, & vulneribus adeò conducit aqua ſimplex, vt ea ſola poſſe vulnera cuiuſcunque generis feliciter curari, integro libello docuerit Philippus Palatius.

18 Nec ſanè mirabitur, tam latè patere aquæ vires in morborum curationibus, qui conceſſerit, quod philoſophorum plurimi ſentiunt, effectus omnes, & actiones in rerum natura à primis qualitatibus, & earundem varia temperie prouenire. Aqua enim vario modo vſurpata, primarum omnium qualitatum actiones edere poteſt: cum non ſolum refrigerandi, atque humectandi vi polleat; verum etiam calefaciendi, ſi calida vſurpetur; Immò & exiccandi certo quodam modo adhibita, vt notat Gal. 4. meth. med. cap. 2. & 7. eiuſdem meth. cap. 6. hinc dependent ſecundę qualitates emolliendi videlicet, indurandi, rarefaciendi, cōdenſandi, &c. immò, & quę à nonnullis tertię appellantur, cum aqua pro vario ipſius vſu, modo aluum moueat, vt notat Hipp. 1. epid. hiſt. Metonis; modo vomitum cieat, vt apud eundem 4. epid. num. vlt. exhibeatur ad eliciendos ſudores, ad mouendas vrinas ex Hipp. lib. de

Cur aqua tantū poſſit in Medicina.

loc. in hom.num.39.ad magis adiuuandas ſanguinis miſſiones, vt ea vti ſolent Chirurgi, dum manuum, vel pedum venas aperiunt. Eandem contrà alijs modis vſurpatam, & ſanguinis immodicos fluores compeſcere, & aluum fuſam ſiſtere, & vomitum cohibere, & ſudores nimios reprimere, ſatis patet ex ijs, quæ ſuprà diximus.

Aquæ occultæ etiã vires concedendæ.

19 Parum abeſt, quin addam occultas etiam, & alexipharmacas vires; quæ propriæ ſolent eſſe miſtorum, aquæ ſimplici ineſſe. Nam antipathia, quæ inter ipſam, & canis rabidi virus intercedit, non in alias cauſas, quam in occultas proprietates, quæ antipathiæ, & ſympathiæ fundamenta ſunt, referri poteſt. Aquæ virtus ſedandi malas dyſenterias, quæ ſinè deleteria, & venenata cauſa excitari nequeunt, vt doctiſſimè probat Sennert. lib. 3. ſuæ Praxis, part.2. ſect.2. cap.7. non alia poteſt eſſe, quam occulta qualitas oppoſita; cum venena à manifeſtis qualitatibus non ſuperentur. Fauet Dioſcorid. qui poſt propinata pharmaca purgantia fortiora, & aliquid deleterij continentia, ad corrigendam eorum prauitatem, aquam ſuperpotandam iubet, vt lib.4.cap. 161. de lathyride; non nè multa venena, aquæ lotione vim veneficam exuunt, & innoxiè tam intus, quam ex-

tra

trà corpus vſurpantur? tot, tantęque ſunt aquæ vires, tot facultates in re medica verè admirabiles, ſi quis ea rectè ſciat vti.

20 Ac ſatis, ſuperque patere iam arbitror, me non omnino hyperbolicè ſuprà affirmaſſe, vix, aut ne vix quidem reperiri morbum, in cuius curatione, vel aqua ſola, non ſufficiat, vel certè principem non obtineat locum. Hydropicos ipſos, quibus cane peius, & angue, Medici omnes aqua interdicunt; poſſe interdum largo aquæ potu detumeſcere, & ſanitatem inter tormenta fruſtrà quæſitam, ab aqua cum voluptate recipere; qui id non credit, adeat diuinum Hipp. lib. de intern. affect. num. 29. norunt, tam neceſſarium in re medica Aquæ vſum veteres illi Romani, qui propterea, vt refert Marcellus Iouanett. in Vita Sancti Emygdij Æſculapio Medicinæ Numini, Templum propè flumen, in ipſa Tyberis ripa extruxerunt. Aqua etiā hydropicos curat. Aeſculapij Templum, propè Tyberim.

21 Non viliſſima, vt malè appellatur ab Horat. lib. 1. ſatira 5. ſed præcioſiſſima, ſane rerum eſſet aqua, niſi copia vileſceret. Sed Diuina pietate, ac prouidentia mihi factum videtur, vt quando morbi nullibi non ſunt; nullibi non ſit & remedium; & cum illi æquè humiles caſas, atque regalia Palatia intrent, nec ditioribus dumtaxat, quibus facilè eſt, auro, Gemmiſque Cur Aquæ tot tantaſque vires tribuit Author Naturæ.

ſani-

ſanitatem redimere; ſed pauperibus etiam inſidientur; omnibus præſto ſit, & ad manus facile iucundum, & inemptum auxilium.

De Aqua Minerali in communi.
Cap. II.

1 NON ſatis fuit Authori Naturæ, vt nobis prodeſſet, & in ſuæ Maieſtatis, ac Omnipotentiæ cognitionem, & amorem nos alliceret, tot, tantiſque virtutibus aquam ſimplicem donare, vt ea ſola ſatis opulenta, & inſtructa ſit, vt vidimus, medica officina; peculiares inſuper nobis tribuit fontes, diuerſorum mineralium viribus inſignitos, quorum aquæ minerales, ſeu medicatæ appellantur à medicis; ad differentiam aquæ ſimplicis, quæ licet, & ipſa, vt capite ſuperiori diximus maximè medicinalis ſit; quia tamen primariò pro potu in vſum venit; meritò ab aquis, quæ medicamenti dumtaxat, non autem potus loco vſurpantur, contrà diſtinguitur.

Aquæ minerales cur medicatæ appellentur.

2 Harum aliæ ſunt ſulphureæ, aliæ nitroſæ, aliæ bituminoſæ, aliæ ſalſæ, quædam chalcanthinę, quędam cupreę, nonnullę ferreę, argenteę, aureę, immò, & marmoreę, & ochreę, & alię

Aquæ minerales plurimæ.

aliç plurimæ; cum non ſolum metalla perfecta, & ea, quæ vulgò media mineralia nuncupantur; ſed & foſſilia omnia, omnes lapides, omnes terrarum ſucci, & quicquid in terræ latebris gignitur, præterfluentibus aquis, natura ſua, ad patiendum, ac recipiendum aptiſſimis, vires ſuas imprimere poſſint.

3. Huiuſmodi aquæ, quantum alieni recipiunt, tantumdem natiuæ puritatis amittunt; & quò plus medicinalium qualitatum imbibunt, eò potui ſanorum redduntur inutiliores; propterea Medici ferè omnes pro potu quotidiano inter comedendum eas improbant, innixi doctrinæ Summi Præceptoris Hipp. qui lib. de Aere, Aq. & loc. num. 13. ex terra, inquit, vbi ferrum naſcitur, aut Aes, aut Argentum, aut Aurum, aut Sulphur, aut Alumen, aut Bitumen, aut Nitrum, aquæ bonç non prodeunt, ſed duræ, & æſtuoſç, quç & difficulter minguntur, & ad alui egeſtionem contrariæ ſunt. Licet autem his de cauſis aquæ minerales pro potu minimè concedendæ ſint, vt ſuprà innuebam, corporibus perfectè ſanis, quibus aqua, quò eſt purior, & ſincerior, eò eſt ſalubrior; at illis, qui morbo alicui obnoxij valetudinariam vitam viuunt, etiam pro potu quotidiano in cœna, ac prandio aliqua mineralis

Aquæ minerales pro potu quotidiano quomodo improbentur.

lis aqua morbo oppoſita ſaluberrimè præſcribitur, vt docet Hipp. eod. lib.de Aer.Aqui,& loc. num. 15. & colligitur ex eiuſdem lib. de Alim. num.4. vbi in alimento inquit Hipp. medicina malum, in alimento medicina optimum. Malum quidem in alimento ſanorum, optimum verò in alimento ęgrotantium. Non nulli enim maius recipiunt iuuamentum à virtute minerali, quam noxam ab adiunctis illis vitijs. Prężterquamquod non omnibus omninò aquis mineralibus ſunt illa vitia communia, vt dicemus infra cap. 13.

Aquarum mineraliũ vires vnde petendæ.

4 Aquarum mineralium vires à mineris petendę ſunt; ferreę enim refrigerant, exiccant, adſtringunt, quę ſunt ferri vires; Nitroſę abſtergunt; Sulphureę reſoluunt, ac diſcutiunt; Bituminoſę emolliunt; Aluminoſæ roborant,& adſtrigunt;chalcáthinę exiccant,& putredinem inhibent; & ſic de reliquis, in quarum ſingulis mineræ, quam lambunt, & concipiunt, vires tam manifeſtę, quam occultę relucent.

An aquæ ſalſæ ſoluant, vel adſtringant.

5 Non poſſum hic diſſimularę difficultatem quandam de Aquis ſalſis, quas, vt Tettucianam, quę eſt in frequenti vſu calefacere, ſuperfluas humiditates abſumere, detergere, omnes concedunt; vtrum aluum cieant, vel adſtringant, pugnare videtur experientia cum doctrina

ctrina Hipp. omnes enim medici experientià duce, ac felici cum ſucceſſu, aqua Tettutiana vtuntur ad ſubducendum ventrem; Hipp. contrà aquas omnes ſalſas adſtringendi vi pollere profitetur, alioſque redarguit, oppoſitum ſentientes lib. de Aer. Aq. & loc. num. 16. vbi, *Mentiuntur* (inquit) *Homines de aquis ſalſis propter imperitiam, in eo, quod per aluum ſecedere, eamque ſoluere, putantur; maximè enim contrariæ ſunt ad alui egeſtionem, ac ſeceſſum, ſunt enim crudæ; & coqui non poſſunt; quarè venter magis ab ipſis adſtringitur, quam eliquatur*; ſed qui fieri poteſt, vt doctrina Hipp. quæ tota ab experientia rationi adiuncta emanauit, experientiæ repugnet? non repugnat ſanè, & vera, & experientiæ conſentientia docet ſummus Præceptor, dum profitetur, aquas ſalſas per ſe exiccare, & ventrem ſiſtere; vt experiuntur dyſenterici, qui nullum habent aqua Tetutiana magis præſentaneum auxilium; immò experiuntur omnes, qui eam ſumunt, cum poſt aquæ deſcenſum omnibus remaneat aluus adſtrictior. Quod ſi ipſa aqua facilè ſecedat, & ſecum alui excrementa, ac pituitoſa ducat; id operatur omninò per accidens, ratione nimirum multitudinis, inqua ſumitur; nimia enim copia, & pondere, naturæ grauis facilè deorſum

C pro-

prolabitur; & quia vi pollet abſterſiua, ſecum ducit quicquid in inteſtinis reperit; nihilominus hoc etiam tempore, dum ventrem ſoluit, adſtrictionem molitur, & ſtypticitatem relinquit, at ſi quis eam parcè bibat, alui adſtrictionem experietur, ſinè vlla ſubductione, vt in pueris dyſentericis ciatho tantum epotam, ſe pluries felici cum ſucceſſu expertum fuiſſe narrat Fallop. de Aq. Therm. cap. 11. Et quidem quælibet aqua mineralis quantumuis adſtringens, ſi nimis copiosè ſumatur, plus minùs vè, vt naturæ magis, vel minus infenſa eſt, & magis, minus vè ponderoſa, per aluum ejcitur. Aluminoſas, Chalcāthinas, quis ignorat eſſe adſtringentes? copioſius tamen epotas facilè ſecedere, & aluum turbare, omnes experiuntur.

Quantitas ingeſtorū multum facit ad eorumdē facilem ſeceſſum.

6 Porrò ad facilem, vel difficilem ſeceſſum præter qualitates, multum etiam conducit quantitas, ſiuè potuum, ſiuè alimentorum, cibi enim quantumuis adſtringentes, ſi immodicè ingerantur (intrà certos tamen limites; nam exuberans etiam, nimiumque excedens repletio, interdum eſt cauſa retentionis alui vt notabimus infrà cap. 11. num. 6.) vel crudi, vel corrupti à natura per aluum ejciuntur; contrà cibi natura ſua molles, & facilè ſecedentes, ſi nimis parca manu ſumantur, quia auidè à natura

reti-

retinentur, tardè ſecedunt, ac aluum adſtringere videntur, propterea Hipp. lib. de Salub. diætà num. 8. ijs, qui adſtrictiore ſunt aluo, largiorem victus rationem, & vt ſæpe in die comedant, imperat; ijs verò, quibus aluus nimis profluit; tenuiore diætà, & ciborum detractione conſulit, vt eod. num. 8. & num. 11. Aquæ igitur minerales adſtrictionis participes, ſi largius epotæ facilè, & citò ſecedant, aluumque laxare videantur, non propterea nobis imponant, ac de ipſarum viribus nos cogant mutare ſententiam, cum illud ipſarum quantitati, non autem qualitati, ſit adſcribendum.

7 Quomodo Aquæ mineralium vires concipiant, eſt ſpeculatione dignum. Equidem, vt vidi Gal. 7. de comp. medicam. ſecund. locos cap. 2. damnare aquas, quæ per plumbeos canales deriuantur, quod in ijs limus quidam ex plumbo contineatur, excitandis dyſenterijs aptiſſimus, ſemper mecum ipſe cogitaui, per mineralia, & reliqua foſſilia fluentes aquas, in ipſo tranſitu, aliquid ſubterraneorum illorum corporum abradere, & ſic eorum vires concipere, confirmabar in hac ſententia, authoritate etiam Aetij, qui Tetrab. 3. ſerm. 1. cap 45. aquam pluuialem, quæ per tecta plumbea defluxit, tamquam plumbo infectam, potui no- *Quomodo Aquæ minerales euadant.*

xiam damnat, nec malè ſentire putabam Baccium, dum lib. 21. cap. 9. aquam omnem vitupe-rat, quæ per tegulas metallicas defluat.

8 Verum enim verò poſt quam Romæ obſeruaui illud idem, quod poſteà animaduerti obſeruatum etiam Lutetiæ Pariſiorum à Renodęo, vt ſcribit lib. 1. ſui Antidot. ſect. 1. cap. 7. in ea videlicet Vrbe ex publicis fontibus in priuatas domos commoditatis, & deliciarum ergò paſſim plumbeis canaliculis aquas duci, eaſque ab omnibus ſinè bonæ valetudinis detrimento bibi, nec Romæ vernaculas eſſe dyſenterias, ſuſpectam habere cæpi ſententiam Galen. animaduertens etiam, ſæpe vaſis argẽteis, ſtamneis, plumbeis, atque ſimilibus plures dies contineri aquas, quæ tamen non propterea minerales euadunt, ſic Gal. non amplius acquieſcens, in eam trahebar ſententiam, vt aqua ſimplex vim aliquam mineralem nanciſcatur, & mineralis euadat, non ſemper ſatis eſſe, vt per aliqua mineralia profluat, ſed opus habere, vt per ipſam mineram, & locum tranſeat, vbi minerale aliquod ex ſuis principijs, & cauſis naturalibus producitur, miſceaturque aquæ, non aliqua particula ſubſtantiæ ipſius mineralis iam producti, ſed illa principia proxima, illæ nimirum exhalationes, illique vapores, quæ vlteriori ela-

bora-

boratione,& quadam veluti congelatione erant conuertenda in metallum; ſeù aliud quoduis minerale, aut medium minerale.

9 Hanc poſteà ſententiam non ſine animi mei voluptate inueni apud Daniel. Sennert. lib. 4. Epit. Nat. cap. 10. immò, & apud Claudin. in Append. de remed. Generoſ. ſect. 1. vbi reprehendit Fallopium, qui cum primæ ſententiæ à me ſuprà relatæ acquieſceret, negabat dari aquas minerales aureas, & ferreas, propterea quod ab huiuſmodi duriſſimis metallis, ob eorum ſoliditatem, nihil aquæ præterfluentes abradere poſſunt.

10 Hæc autem ita accipi velim; vt licet ſentiam, non omnes aquas minerales neceſſariò imbibere debere ſubſtantiam illius mineralis, cuius vires, & qualitates participant; ſed multas ſoluta illa principia, & proximam materiam dumtaxat continere; non tamen negem, dari aliquas aquas minerales ſubſtantia ipſa ſubterraneorum corporum infectas, vt ſunt aquæ illæ, quæ in ſalem excoquuntur, & aliæ omnes, à quibus per diſtillationem, ſeu euaporationem varia mineralia, ſeù potius media mineralia, & ſimilia ſeparantur. Sed de aquarum mineralium generatione legendus eſt Baccius lib. 1. de Therm. cap. 10. & ſeqq.

Hęc-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Aquarũ mineralium mineræ quo modò inueſtigãdæ.

11 Hęc igitur cum ita ſe habeant, non eſt damnandum eorum conſilium, qui propoſita aqua aliqua minerali, eius mineram deſtillatione, vel ebullitione inueſtigant, & ex relictis fæcibus iudicant; quo pacto Anton. Guainer. mineram Balneorum Montis Ferrati ſeſe inueſtigaſſe, ſcribit in commentariolo, quem de illis balneis compoſuit, cap. 1., ſic Claudin. in Append. de Remed. Generoſ. ſect. 1. Aquas Spadanas ex Belgio Bononiam tranſuectas ſe exploraſſe narrat, & Chalcanthinas inueniſſe. eundem modum probat, & apud Veteres etiam vſurpatum fuiſſe, ſcribit Sauonarol. lib. 2. de Balneis cap. vlt.

Deſtillatio non ſemper indicat aquæ mineram.

12 Nihilominus ſic aquas minerales exquirentes ſæpè decipi, eoſque fruſtrare diligentiam, patet ex ijs, quæ ſuprà diximus, plerumque nimirum aquas mineralium vires concipere, non participatione ſubſtantiæ alicuius mineralis iam producti; ſed admiſtione proximorum principiorum eiuſdem mineralis proximè producendi, quæ principia cum non ſint niſi exhalationes, & vapores, in aquæ ebullitione, & diſtillatione facilè euaneſcunt, nec ex relictis cineribus deprehendi poſſunt; immò, & quædam media mineralia, licet ſecundum eorum ſubſtantiam perfectam, in atomos tamen, vt ità lo-

loquar, diuiſam ab aqua aliqua minerali participentur, diſtillatione, vel ebullitione ex relictis cineribus dignoſci non poſſe, patet exemplo ſulphuris, quod vt notat Sauonarol. loc. cit. niſi admodũm copioſè participetur; facilè in ſubtilem vaporem conuerſum exhalat, nec vllum ſui veſtigium in cineribus relinquit. propterea in exploratione mineræ ſpontè naſcentiũ aquarum non omittenda quidem earum diſtillatio, & ebullitio; ſed alia quoquè attendenda, color videlicet, odor, ſapor, effectus, & alia, quæ partim ſenſu, partim ratione duce, in eius cognitionem trahere nos poſſunt.

13 Vniuerſalioribus his principijs ſic prælibatis, alijſque plurimis omiſſis, cum de thermis, & aquis mineralibus in communi ex profeſsò agere noſtri inſtituti non ſit; ad Aquam noſtram Salmacinam tandem deſcendamus; & à deſcriptione fontis, & loci vndè ſcaturit, ſumamus exordium.

De-

Deſcriptio loci, & fontis, vndè ſcaturit Aqua Salmacina. Cap. III.

Aſculanæ Ciuitatis ſitus.

1 ASCVLVM Piceni Ciuitatum antiquiſſima, & vt à Plinio lib. 3. cap. 13. appellatur, Colonia Piceni nobiliſſima, plano quidem loco ſita; verum vndiquè montibus, præterquam ea parte, quà mare Adriaticum, decem, & octo millia paſſuum, diſtans, ac ſolem orientem ſpectat, circumdata, duplicique flumine. Truento Caſtellanoque ad mœnia vſque irrigata; aere quidem fruitur (quod propter eius ſitum fieri neceſſe eſt) paulo craſſiori, ac ſubhumido, adeò tamen ſalubri, vt ex duodecim millibus, quibus Ciuitas conſtat habitantium ſæpè vix viginti reperias ægrotantes. huic præcipuè Ciuitati quadrat, quod de Piceno vniuerſo cecinit Pamphilus.

Aeris Aſculani ſalubritas.

Viuitur hic multis centum feliciter annis
Vndiquè Picenis aura ſalubris adeſt.

2 Morbus hic vernaculus nullus; febres malignæ, ac peſtilentes rarò viſuntur; ſenibus Ciuitas abundat; non ſunt hic tumidi ventres, non duri lienes, non homines inflatis cruribus,

flauo

ſlauo, viridiuè colore exangues, nec in hanc Vrbem dicterium illud iactari poteſt, quo Cariam Cauniorum Ciuitatem aeris inſalubritate infamem carpere ſolebat Stratonicus Cithariſta, in eà nimirum homines apparere veluti folia, & defunctos ambulare; cum potius bono habitu præditi, ac viuido colore ſpecioſi, cum iuuenes, tum ſenes hic degant, non delicijs emolliti, non vnguentis obliti, non laſciuis amoribus fracti; ſed robuſtis corporibus, viriles animos ſortiti, laborum tolerantes, armis præcipuè, militiæque addicti. Aſculanorum mores.

3 Huic Ciuitati præter copiam frugum, aliarumque rerum humano victui neceſſariarum, non nullas etiam aquas minerales è vicinis montibus tribuit natura. Occaſum verſus æſtiuum quatuor milliaria paſſuum ab Vrbe, ad ſiniſtram Truenti ripam è radice montis, in cuius dorſo Mutiani, ſeù Moſſani Caſtrum attollitur, quædam aqua ſalſa ſcaturit, quæ in candidiſſimum ſalem excoquitur. Si vlterius tendas ad hyemalem occaſum decem milliaria paſſuum ab Vrbe, Balneum tibi occurret ſulphureum, Aquaſancta nuncupatum, apud recentiores ſcriptores de Thermis celebre, hinc non longè ad Caſtrum Lucum Aquæ quædam ſtagnãt plurimi vſus in Medicina, odore tã grauí, Aquæ minerales Aſculanæ.

vt vulgò Aquę fœtidę dicantur. Septentrionem verſus, eſt Vallis in agro Aſculano, vitibus, & oleis conſita, ſegetumque ferax, quod Floranum vocãt; ibi riuulus excurrit Aquæ ſubſalſæ, quam ſi inſcijs pitiſſandam dederis, Tetutianam Aquam ex Monte Catino hùc aduectam dicent, ex eà ſæpè clyſteres parandos iuſſi in dyſenterijs felici cum ſucceſſu, nec dubito, vt per os etiam propinari poſſit, hactenus tamen non ſum expertus. Inter meridiem, & brumalem ſolis occaſum, vix duobus milliarijs paſſuum ab Vrbe emenſis in Aquæ Salmacinæ ſcaturigines incides. Sed cæteris omiſſis, de quibus fortaſsè aliàs, ſaluberrimæ huius Aquæ exortum contemplemur.

Vbi oritur Aqua ſalmacina.

4 Quà Caſtellani fluenta ſaxoſo labuntur alueo inter Montem ſancti Georgij nuncupatum, quod illi ſancto dicatum cœnobium fratrum Minorum de Obſeruantià ſuſtineat; & montem ex aduerſo, qui Caſtro Treſino ſcopuli inſtar terga ſubijcit, adipſius fluminis ripas, & mõtium radices, hinc, & illinc è pluribus locis non exigua vis aquarum erumpit, quæ Caſtellani aquis permiſtæ, ità eius inopiam ſubleuant, vt fluminis ſubſidiarias diceres, ſcaturiunt huiuſmodi Aquæ vberi venà, colore ſubalbicantes, odore ſulphureæ, frigidæ æſtate,

hye-

hyeme tepidæ, ſi cum Caſtellani aquis conferantur, quæ vt cæterorum fluminum hyeme frigidæ, æſtate calidę prɶterfluunt. Cryſtallo exceptæ veluti oculos anteà fefelliſſent, apparentem albedinem deponunt, & aliarum aquarum ſimplicium perſpicuitatem æmulantur, argenteis libatæ pateris, eas tandem aureo colore tingunt, fugaci tamen, & inſtabili, qui non ità multò poſt in atrum conuerſus, paulatim euaneſcit; hac re fortaſſe deceptus Baccius lib. 5. de Therm. cap. 4. malè aſſerit, has Aquas ſubflauas erumpere, & nonnulli noſtrates, eas aureas putant, & ex auri minerà exire.

5 Dextrà Caſtellani ripà ſub Treſino Caſtro piſtrinum iacet, cuius mola fluminis aquas veluti indignata, ſolâ Salmacinà verſatur; Cum igitur reliquę Salmacinę ſcatebrę in ſubiectum flumen illicò proſiliant; quædam ex ipſis non prius Caſtellani aquis admiſcetur, quam ex piſtrino exierit. Omnes Aquæ Salmacinæ ſcatebras, ijſdem pollere viribus crediderim, proximi tamen accolæ eam præferunt, propter quam antiqui fontis marmorei manent veſtigia, ſic conciliante Arte authoritatem Naturæ. **Aquæ ſalmacinæ copia.**

6 Siniſtra fluminis ripà è regione Caſtri fuit olim ab Aſculanis Ciuibus Aquæ Salmaci- **Aquæ ſalmacinę fõs antiquus.**

næ marmoreus fons extructus, ex quo per tria ora ſatis ampla aqua effundebatur. viſitur in hanc vſquè diem ex temporis edacitate ſuperſtes lapis, qui fontis anteriorem faciem efformabat. inſculpta in eius medio duo cernuntur inſignia, alterum ad dexteram, maius, Aſculanæ Ciuitatis; alterum ad ſiniſtram, minus, ac valdè corroſum, cum erecti Leonis, vel canis, aut ſimilis animalis figura. Hinc, & illinc duo leonum rictus ſequuntur; qui hianti ore aquam vomebant, tertiamque fiſtulam æquè latam ſub Ciuitatis inſignibus in medio lapide poſitam comitabantur.

Aquæ ſalmacinæ fons hodiernus.

7 Duorum paſſuum interuallo ab hoc antiqui fontis monumento, præcipuus, ac præſtantior, vt Caſtri Treſini accolæ credunt, Aquæ ſalmacinæ riuus hodiè erumpit, qui arte elaborato Fonte diruto, ac obſtructo, non longè alium naturalem ſibi met aperuit. Hic non marmore nitet, non cælaturis; ſed iuncis viret, farinæ veluti polline ſemiaſperſis; muſcus ipſe, quo fons ſternitur, veluti albario obducitur; ſic latens minera, quę aquæ ipſi præter odorem, candorem quendam imprimit; obiecta etiam corpora, partim diutino eiuſdem aquæ contactu, partim vaporum adhæſu colorat; nec immeritò albedine decoratur fons ille, cuius aquę

pecu-

peculiari quadam vi, turpes morborum maculas delet.

Quanta fuerit olim exiſtimatio, ac Fame Aquæ Salmacinæ. Cap. IV.

LONGE' alia mihi opus eſſet deſcriptione vti, quā capite proximè ſuperiori attuli, ſi ab oſcuriſſima antiquitatis caligine eruere conarer, quam ſplendidè, quam ornatè ab Aſculanis Ciuibus Aquæ Salmacinæ fons olim fuiſſet extructus, non in agro, ſed intrà Vrbem, non è muſcoſis latebris, ſed ex argenteis fortaſsè; non in Caſtellarum flumen, tanquam res inutilis, ſed in marmoreas conchas præcioſa aqua effundebatur. Fōs Aquæ Salmacinę olim intrà Ciuitaté.

2 Vidi egomet, ac videre omnes poſſunt antiquiſſimorum aquæ ductuum fragmenta, etiam in ruinis antiquam magnificentiā oſtendentia, per quos à Treſino Caſtro in Ciuitatem Aqua excurrebat. Refert vir ingenuus, fide dignus Celſus Saccoccius militum Dux, & rerum ad Architecturam pertinentium peritiſſimus; ſe cum elapſis annis in quodam ſuo fundo, quem inter Vrbem, & Triſinum Caſtrum poſſidet, altius fodiendum curaret, vt aquam inue- Salmacinæ Aquæ ductus.

inueniret, & puteum extrueret, in antiquiſſimos huiuſmodi plumbeos tubos incidiſſe, quorum dimeter erat vnius palmi noſtratis cum dimidio, taliſque craſſities, vt palmi menſura centenas libras penderet, indèque octingentas ſuprà millenas plumbi libras effodiſſe, videri etiam nunc poteſt quibuſdam in locis adhuc ſuperſtes ſubterranea cloaca ex lapidibus marmoreis conſtructa angulato fornice concamerata, amplo canali ad plumbeos tubos excipiendos ſcalpto pauimento, cuius cloacæ latitudo quinque, altitudo ferè nouem palmos excedit, vt iam homo rectus ambulare poſſit. nec qui vlli ſumptui perpercerunt in effodiendis, extruendiſque ſubterraneis ductibus, minus magnificè credi poſſunt exornaſſe fontem, qui Ciuibus ſaluti, & Vrbi futurus erat ornamento,

Ad Salmacinam, accedentium frequẽtia.

3 Ad hunc fontem, tanquam ad ſanitatis aſylum non modò Picentes vniuerſi, ac Samnites, ſed remotiores etiam Populi, & Romani præcipuè cateruatim confluebant. immò tanta erat priſcis illis temporibus huius Aquæ celebritas, vt Romanos etiam Conſules ad ſe traheret. Teſtis eſt Liuius Paduanus in ſuis coment: ſuper Oribaſ. lib. 7. cap. 9. vbi agens de Italiæ Balneis; ſunt, & Aſculi, inquit, Aquæ ſalubres

bres, quondam etiam celebres, quas Romani frequentabant. Ca: Plancus Conſul ſanitatem cum recuperaſſet, quam non inuenerat in Thuſcia, vocauit gentem Aſculanam incognitam morti, cum vitam in aquis ſeruaret. Ca: Plancus Conſul Romanus, Aſculi ſanatus.

4 Felix, fauſtumque tibi ſit Aſculana Ciuitas, appellant te morti incognitam Romani Conſules, non modò, quia eorum impetum ſæpè armis ſuſtinere, ſed etiam quia ſalubribus aquis eorum ægritudinibus opem ferre potuiſti. Meritò debebatur tibi Ciuitas Romana, pro quà olim in bello ſociali acerrimè dimicaſti, cum æquè ſcires, vitam Romanis ferro adimere, & aquis conſeruare. neſcio, an plus olim tibi deberet Vrbium Imperatrix Roma, ob exteras nationes bello domitas, hoſteſque Romani Imperij ferro trucidatos, an ob ſuos Ciues, Conſuleſque ſaluberrimis aquis incolumitati reſtitutos.

5 Ob huiuſmodi Aquas putarunt olim Aſculani, priuſquam à Sanctiſsimo Epiſcopo, & Martyre Emigdio Euangelij luce ditarentur; ſibi Æſculapium Artis medicæ Numen, & bonæ valetudinis Parentem, præ cæteris nationibus maximè eſſe propitium, ideò illum inprimis colebant, & ſacris venerabantur; ad eò vt & ipſum Aſculi, olim Æſculi nomē ab Æſcu- Aeſculapius Aſculi adorabatur. Aſculum vndè dictū

lapio

lapio deductum fuiſſe, nonnulli arbitrati ſint; vt Franciſcus Pamphilus, qui in ſuo Piceno cecinit.

Seù quod in hac cultus populis Æſculapius Vrbe.
Mœnibus his nomen, tradidit ille ſuum.

illimet duo Angues, qui Aſculanæ Ciuitatis Inſignibus implexi, exertis linguis, & erectis ceruicibus ſe ſe mutuò intuentur, vt erant olim ab ethnica ſuperſtitione Æſculapio conſecrati, ità in hanc vſque diem antiquam Aſculanorum in Æſculapium religionem teſtantur.

6 Sed nè longè abeam; non ſolum antiquiſsimis illis temporibus, & à noſtra memoria remotiſsimis, tam longè, latèque floruit Aquæ Salmacinæ fama,& exiſtimatio,ſed deinceps conſequutis etiam temporibus, poſt Romanam Remp. euerſam; poſt Conſulum nomina ſublata; poſt Italiæ deuaſtationes, direptioneſque ſemper inconcuſſa ſtetit. Et ſanè fons ille marmoreus, cuius adhuc extant veſtigia, vt paulò antè diximus, minimè fuiſſet ab Aſculanis Ciuibus Aquæ obſcurę, & ignobili exędificatus; cum tamen antiquiſsimam non redoleat antiquitatem.

7 Equidem crediderim, poſt fractos, deſtructoſque ſubterraneos aquęductus, qui intrà męnia Aſculanę Vrbis hanc Aquam, & delicia-

rum,

rum, & ſanitatis ergò ducebant; tunc tandem nè tam prætioſæ aquæ memoria, & fama aboleretur, pro Vrbano fonte exiccato, fontem alium in agro, cuius hodiè ſuperſunt ruinæ ad ripam Caſtellani, fuiſſe extructum; verum ex Ciuitate in agrũ translata, ęgrotantium frequentia ob loci incommoditatem, paulatim cæpit imminui, & hinc Aquæ ſimul fama obſcurari.

Quomodo Aquæ Salmacinę nomen, cæperit obſcurari.

8 Viuunt adhuc in Caſtro Treſino ſenes, qui narrant ſe à Patribus accepiſſe, multas olim in Caſtellani littore fuiſſe caſas, lectulis plenas; earumque nonnullas & ipſos iam à pueris vidiſſe, ob comoditatem eorum, qui ad Aquam Salmacinam accedebant; earum tamen hodiè ferè nullum remanet veſtigium, vna excepta domuncula, quæ in hanc vſquè diem taberna appellatur, immò cum primum ex Ciuitate ad Treſinum Caſtrum concurſum eſt; tunc Caſtro, quod olim ſimplici Caſtri nomine vocabatur, vt etiam nunc à pleriſque vocatur; à multitudine ægrotantium, qui eo loci ſanitatem recipiebant, agnomen adiunctum crediderim, non quidem Treſinum, vt poſtea corruptum eſt, ſed Theſaurinum, quia tam præcioſę Aquę Theſaurum obtineret, quamuis putet Eruditiſſimus vir, & rerum antiquarum ſtudioſiſſimus Sebaſtianus Andreanto nellus I. V. D. &

Caſtrum Treſinum vndè dictum.

Caſtri Treſini alia etymologia. Canonicus Aſculanus, Treſinũ olim Tranſuinum fuiſſe appellatum, ideſt, trans Suinum, quia ſitum ſit trans flumen Caſtellanum, quod exiſtimat eſſe flumen illud Suinum appellatum à Plin.lib.3.cap.13.quo inquit finitur Prætuciana Regio, & Picentium incipit. Qucquid ſit de hac re, in dies paulatim ſic decreuit Aquæ Salmacinæ nomen; poſt Vrbanum fontem magnificè, ſumptuoſèque extructum, alium quidem marmoreum, ſed ruſticum obtinuit; huic ſucceſſit naturalis fons hodiernus nulla arte excultus; accedentium comoditati fabrefactæ domus conciderunt; ipſemet Aquæ vſus apud finitimos etiam populos, immò apud Aſculanos ipſos ferè exoleuit; quamuis id commune ſit alijs etiam antiquorum præſidijs.

Artis Medicæ inconſtantia. 9 Vbi nunc Romanorum Thermæ? vbi gymnaſticæ exercitationes, quibus olim ſanitatem, bonumque corporis habitum tuebantur? cui non ſordent hodie Hipp.remedia? quis (vt è multis pauca ſeligam) cneoro dato, aut hippophae, aut cnidio grano, aut lapide magneſię, vt Hipp. lib. intern. affection. num. 23. purgationes inſtituit? quis venas in ſcroto ſecat, vt Hipp. ibidem? quis ex alba Dracontij, ac veratri radice eclegmata componit, vt Hipp. 2. de Morb. num. 46.

10 Sem-

10 Semper fuit, eritque Artis medicæ vitium inconſtantia,quam ſuis etiam temporibus deplorabat Plin.mirum inquiens lib.29.cap.1. & indignum ſubit, nullam artium inconſtantiorem medicina fuiſſe,& etiam num ſępius immutari contingit,& ibidem paulò inferius,mutatur Ars quotidiè, toties interpolis, & ingeniorum Gręciæ flatu impellimur.

11 Sed vt ad Salmacinam reuertar; cũ omnium rerum viciſſitudo ſit, ſpes eſt fore,vt tandem aliquando Aſculani Ciues oculos aperiant, & nulli parcẽtes ſumptui pręſtantiſſimæ Aquæ priſtinum decus, ornamentumque reſtituant, atque accedentium commoditati pro dignitate conſultum velint, nec omni ſpe cado, quin tandem aliquandò futurum ſit vt, medici ipſi noſtrates, ac finitimi,quibus Dei munere Aqua Salmacina frui conceſſum eſt, tanto bono frequentius vti diſcant; ſeque fruſtrà artem adhibere intelligant, vbi obſequentem habent Naturam; artificicioſa inquam remediorum commenta, quæ ſæpius ad auaritiam, vel Artis oſtentationem, quam ad ægrotantium vtilitatem componuntur, omittentes; naturale hoc præſidiũ à ſummo rerum omnium Conditore nobis elaboratum, ac præſtitum, antiquo vſui reſtituant.

Naturalia medicamẽta artificioſe compoſitis pręferenda.

De Aquæ Salmacinæ nomine, & eius etymologia. Cap. V.

VNDE' Salmacinæ nomen huic Aquę contigerit, coniectura aſſequi, difficillimum eſt, à Salmacida corruptum putauit Baccius lib. 5. de Termis cap. 4. ideò barbarum, & vulgare Salmacinę nomen reſpiciens Salmacinam ibi reſtituit, & Salmacidam appellat, quam appoſitè equidem ignoro, meminit quidem Plin. lib. 31. cap. 3. Aquarum Salmacidarum; dum inquit, Nitroſas, atque ſalmacidas, & fęculentas aquas in deſertis rubrum mare petentes, addita polenta vtiles intrà duas horas faciunt. verum noſtram hanc aquam in hoc ſenſu Salmacinam appellari minimè poſſe, nemo eſt, qui non videat, cum nec ſalſa, nec acida ſit, nec ex ſalſedine, & acore miſtum obtineat ſaporem ità vt polenta opus habeat, vt vtilis fiat, potui reddatur apta.

Salmacinę aquæ apud Plin.

2 Crederem à Salmace fonte, olim in Caria celeberrimo Salmacinę nomen hāc Aquam mutuatam, niſi ab illo noſter hic fons non minus viribus, quam locorum ſpatijs disiungeretur. Salmacis Aquæ vim quandam tribuerunt anti-

Salmacis fons in Caria.

antiqui, viriles animos effœminandi, ſi Straboni credimus, qui lib. 14. Salmacis inquit neſcio quam ob rem calumniatus, tanquam emolliens eos, qui indè bibant, & Ouid. lib. 15. Metamorph. cecinit.

Quodque magis mirum eſt, ſunt qui non corpora tantum.
Verum animos etiam valeant mutare liquores,
Cui non audita eſt obſcœnæ ſalmacis vnda?

3 Hinc poetarum fabulæ factus eſt locus, Salmacem Naiadum pulcherrimam, atque illius fontis accolam, ſpecioſiſſimi adoleſcentis Hermaphroditi amore correptam, cum refractarium puerum, neque blanditijs, neque præcibus emollire, & ad ſua vota flectere poſſet; eum per inſidias, dum in aquis lauaretur, aggreſſam, tam arctè bracchijs, cruribuſque complexam fuiſſe, vt ex duobus corporibus, Deorum munere, quos puellæ ardoris miſerebat, pueri verò tædebat algoris, vnicum vtriuſque ſexus particeps extiterit. ſic Nimphæ ſalacitate, aque illius fontis naturam, duros etiam animos, propoſitique tenaciſſimos emollieutis, & ad delicias flectentis, deſcripſere. Salmacis Nimphæ fabella.

4 Non huiuſmodi ſanè viribus noſtra pollet Salmacina; Deus omen auertat; exulet à noſtris finibus tam dira peſtis, neſcit effœminari

Aſcu-

Aſculana virtus, nec facilè eſt ad fidem ibi potari obſcœnę Salmacis aquas, vbi non modò viri, ſed & fœminæ ipſæ viriles animos gerunt; aliundè igitur huius etymologia nominis petenda eſt; niſi dicere velimus, non ſecus, ac ex Salmace Nympha, & Hermaphrodito puero vnicum corpus factum eſt, in quo vterque ſexus inerat; ità ex hac lympha & minerali marito, vt ità loquar, vnum fieri miſtum, inquo Aquæ vires, & admiſti mineralis facultates ſimul valeſcant, atque ideò Salmacinam fuiſſe appellatam; verum ſubtilior hæc expoſitio agreſtibus Caſtri Treſini habitatoribus, à quibus probabile eſt, fuiſſe olim huic Aquæ nomen impoſitum, minus congruere videtur.

Salmacinę etymologia quædā.

5 Diù, multumque laboraui in inueſtiganda Salmacinę nominis etymologia, ingenuè tamen fateor, antèquam in rem præſentem veniſſem, nequicquam certì hac de re potuiſſe, vel ſub vmbra conijcere, vt verò fontem, ac ſitum aſpexi: loci accolas allocutus fui; dum Aquæ copiam mirabar verſandæ molæ frumentariæ ſufficientem, ea mihi tandem ſubijt in mentem cogitatio, Salmacinæ nomen deductum eſſe ab antiquiori vocabulo temporis diuturnitate corrupto, quo italica lingua Solmacina, ſeù Solamacina hæc aqua appellàbatur,

ne-

neſcientes agreſtes illi homines, quo nomine hanc Aquam à Caſtellani proximi fluminis aquis diſtinguerent, eam deſcribebant abuſu, & noſtro idiomate, l'Acqua che ſolamacina appellabant. ſi proxima arbor ficulnea, vt refert Sclauettus in ſuo tract. de Baln. S. Caſſ. cap. 12. nomen imponere potuit Aquæ Ficuncellenſi; quid miramur, ſi Mola in flumine poſita, ab alia tamen aquà, quam fluminis impulſa, rei nouitate anſam dederit, vt eadem aqua, diſtinctionis ergò, Solamacina appellaretur?

6 Dum hæc verſabam animo, videbar mihi audire antiquiores illos ruſticos, ſcabie laborantibus imperare, vt ad Caſtellanum flumen deſcenderent, & aquam potarent, non quidem ex ipſo flumine, ſed eam, quæ propter flumen ſcaturiens, in piſtrinum excurreret, & quidem eam ſolam biberent, antèquam Caſtellani aquis permiſceretur; hinc paulatim ab omnibus l'Acqua, che Solamacina cæpit appellari, poſteà ex duabus vocibus vna facta, ac ſimplici vocabulo Solamacina, ſeù Solmacina dicta fuit, cuiuſmodi vocabulum temporis tandem diuturnitate in Salmacina corruptum, in hac vſque diem apud omnes remanet, ſi Baccium excipias, qui vt paulò antè diximus, ęgrè ferens iſtius vocabuli barbariem, ſeù potius eius ethymologiam

giam non intelligens Salmacidam appellat.

Salmacinæ nomen nõ valdè antiquum.

7 Quæ ſi vera ſunt, vt probabiliſſima mihi videntur, cum Salmacinæ nomen ab Italica lingua, qua modo vtimur, ortum duxerit, vt hactenus coniecturis venati ſumus; quomodo nominata fuerit eadem aqua antè Barbarorum in Italiam ingreſſum, & antè quam latina lingua Italię olim vernacula, in præſens nouum idioma corrumperetur, penitus ignoramus, nequè id diuinare vllo modo poſſumus, cum nemo ex Authoribus illorum temporum, quod ego ſciam, huius rei meminerit; non quidem quia tunc temporis hęc Aqua eſſet obſcura, & incognita; cum etiam florente Romana Rep. & antè Italię dauaſtationes, eius virtus longè, latèque celebraretur, & quidem multo magis, quam ſequutis poſteà temporibus, dum ad eam non modò Romana Nobilitas, ſanitatis recuperandę gratia; ſed & Conſules ipſi Romani, vt ſuprà notauimus accedebant.

8 Verum ità fato contigit, vt in quantà antiquitus hęc Aqua exiſtimatione fuerit, teſtimonia habeamus; quo autem nomine, pręterquam Aquæ ſalubris fuerit appellata, ignoremus. facilis tamen iactura, equidem, quia vt adagio fertur, loquendum eſt vt multi, ſentiendum vt pauci, vulgare nomen ſequutus eam

in

in hoc tractatu Salmacinam appello, omiſſis veriore, & antiquiore Solmacinæ, & elegantiore Salmacidæ vocabulis, quibus tamen ſi aliqui vti velint, non repugno, dummodo ſciant qui eam Salmacidam appellant non à participata ſalis aliqua minera huiuſmodi nomen ei conuenire.

Quæ nam ſit Aquæ Salmacinæ Minera. Cap. VI.

1 OMNEM moui lapidem; nulli peperci labori, vt veram huius Aquæ mineram agnoſcerem; quid ab aqua ſimplici differret, odore, colore, ſapore adamuſſim exploraui, eam abſtemijs pitiſſandam dedi, quorum palatum à vini ſapore minimè corruptum, acerrimus ſolet eſſe aquarum cenſor. trutinà cum alijs ponderaui; legumina incoxi, & carnes; an citius, vel tardius aquà ſimplici incaleſceret, calefactaque refrigeraretur; an citò putreſceret, vel diù incorrupta permaneret, obſeruaui; eam euaporaui; diſtillaui, vt ex relictis fæcibus de latente minerà ferrem iudicium, eà ſæpe manus, faciemque ablui, vt ſi quid diuerſum ab aquà

Aquæ minerales, quomodo examinandæ.

ſimplici operaretur, agnoſcerem; fontem, ac proxima loca luſtraui. tandem in eam deueni ſententiam, nullà alia re, præterquam ob admiſſos ſpiritus quoſdam ſulphureos, ab aqua ſimplici differre, ità vt nec aurea, nec argentea, nec ferrea nec nitroſa, nec calchanthina, ſed ſolum ſulphurea debeat appellari, niſi tamen argenti aliquid illi tribuere velimus, ob proximam Treſino Caſtro argenti fodinam, quæ tamen à metallicis explorata, tam inops, ac ſterilis inuenta eſt, vt vix fodinæ nomen mereatur. equidem participati ab aquà Salmacina ſulphuris, plura ſigna inuenio, argenti ſuſpicionem dumtaxat facit prædictæ fodinæ propinquitas.

Salmacinæ minera.

2 Præter odorem, qui manifeſtè ſulphureus eſt; color ipſe albicans Sulphur oſtendit; hac de cauſa Naris fluminis aquas albeſcere putauit Virg. 7. Æneid. vbi amnis, cæcinit, ſulphureà Nar Albus aquà, lantis candorem, & mollitiem afferre ſulphur teſtatur Cæſalp. lib. 1. de Metallic. cap. 28. ſcio aluminoſas etiam aquas albeſcere, & ideò albulas à veteribus fuiſſe appellatas, quarum non paucas reperiri in Agro Tyburtino tradidit Strabo, earumq; meminit Gal. 8. Meth. Med. cap. 2. vbi eis cutis poros inſigniter adſtringendi vim tribuit, adeò vt cohibito naturali corporum viuentium effluuio,

Aquæ albicāt propter ſulphur.

Aluminoſarū aquarum virtus.

poſ-

poſſint etiam febrem accendere; verum cum nullam morboſam adſtrictionem corpori affuſa noſtra operetur Salmacina, & epota nullum inuehat ſtypticitatis ſenſum, non eſt, cur ſuſpicemur, eam ex admiſto alumine leuiſſimum illum alborem contrahere.

3 Ille ipſe dulciculus aquæ Salmacinæ ſapor exquiſitiſſimi dumtaxat ſenſus palato perceptibilis, vt alumen, natura ſua acidum excludit, ità fauet ſulphuri; quod cum ſuſpirioſis, & purulenta extuſſientibus ex Dioſcor. lib. 5. cap. 43. linctum proſit, neceſſe eſt, dulcore quodam thoracicorum medicamentorum propriu, pulmonibuſque familiari comendetur, & ſanè ſulphur definiens Quercetan. vt ſeq. cap. videbimus, illud appellat humidum, dulce, oleaginoſum, &c. exquo etiam colligi poteſt, læuorem illum, & quandam veluti vnctuoſitatem, quam in Aqua Salmacina percipimus, dum ea manus, & faciem abluimus, admiſtam ſulphuris pinguedinem atteſtari, aureus etiam ille color fugax, & inſtabilis, quo vt ſup. diximus, cap. 3. num. 4. argentum inficit, participati ſulphuris eſt argumentum, cum idem operetur noſtra Thermalis Aqua ſancta, de cuius ſulphurea natura dubitare nemo poteſt. Aquæ dulces ob ſulphur.

Salmacinę minera difficile percipitur.

4 Adeò tamen modica, & perexigua eſt ſulphuris ab Aqua Salmacina participatio, vt ſi odorem contemnas, vix alio ſenſu, vix vllo alio ingenio poſſit apertè dignoſci; neque enim vaſe Aquà pleno per ebullitionem, ſeù diſtillationem exiccato, remanent cineres apertè ſulphurei, qui in ignem proiecti ardeant, & reliquas ſulphuris manifeſtas notas exhibeant, cum potius albicans quidam puluis reſideat, nullius ſaporis particeps, qui prunis impoſitus, nec crepitat, nec flammam concipit, nec fumum emittit, non diſſimilis ab eo, qui ex aquæ ſimplicis ebullitione, vel ſublimatione ſolet ſuper eſſe. verum vt ſupra cap. 2. ex Sauonarola animaduertimus, ex relictis poſt aquæ euaporationem fæcibus de latente minera non ſemper ferre poſſumus iudicium, cum ſæpè admiſti ſpiritus minerales vnà cum aqua exhalent, & reſoluantur; idque potiſſimum de Aquis ſulphureis verificari, notat ibi Sauonarol. ſi non abundè admodum, & affluenter ſulphur ipſum participent.

Cur Salmacina nõ feruẽs ſcaturiat.

5 Eadem per exigua ſulphureorum ſpirituum cum aqua Salmacina permiſtio eſt in cauſa, cur hæc Aqua licet ſulphurea ſit, non tamen calida ſcaturiat; cum tamen aquæ minerales ſulphureæ ferè ſemper ebulliant, quod de

de Baianis Aquis ſulphureis cecinit Ouid. 1. deArte.

Quid referam Baias, prætextaque littora velis.
Et quæ de calido ſulphure fumat aquam?

quod & in noſtris ſulphureis Aquæ ſãctæ Thermis experimur, quarum aqua eo præſertim tempore, quo aliarum ſimplicium aquarũ permiſtione vacat, non minus feruet quã ſi, aheno excepta ſubiectos haberet ignes. porrò ſi tantum ſulphuris contineret Aqua Salmacina, minimè eſſet potui apta, nec refrigerando prodeſſet; cum cæteræ aquæ ſulphureæ, quæ calidiſſimæ erumpunt, non pro potu, ſed pro balneis, & tanquam materia calidi præſidij ſint in vſu.

6 Quantum prouidæ Naturæ debemus; quæ cum Aquam abundè ſulphuream pro calido balneo nobis donaſſet; aliam addidit pro frigido potu, in qua de induſtria ità ſulphuris vires attemperauit, ac miſcuit, vt palatum non læderet. & interiora corporis refrigeraret, non exureret, atque ſic tam aduerſus frigidos, quam aduerſus calidos morbos paratum haberemus naturale auxilium. Naturæ prouidentia in Aquis mineralibus.

7 Eandem Naturæ prouidentiam in alijs multis locis, vbi calida balnea naſcuntur, licet intueri, ſed inſtar omnium ſint famoſæ ſancti

Caſ-

Caſſiani nuncupatæ Thermæ in Hætruria, vbi cum plures Aquę calidiſſimæ erumpant, balneis dumtaxat vtiles, aliæ quoque ſcaturiunt minori illorum mineralium participatione, potui aptę, non modo nihil calefacientes, ſed etiam refrigerantes. ſic (vt naturalia per artificialia explicemus) ſi plurimum cinamomi E. G. modicæ aquæ incoquamus, calidam parabimus potionem; ſi fruſtulum eiuſdem ſemel tantum ex multa aqua ebullierit, refrigerantem.

Aquæ Salmacinæ vnde decidantur, coniectura quædam.

8 His rationibus, & experimentis ferè adducor, vt credam, Salmacinas noſtras aquas, eſſe riuos quoſdam ſulphureæ Aquæ ſanctę, qui Thermas illas ſulphureas non ingredientes, in Truenti fluminis aquas cum illis Thermis minimè deuoluantur; ſed diuerſum carpentes iter ad Caſtellani ripas erumpant, ità tamen 7 vel 8 circiter milliarium paſſuum itinere immutati, vt vix, aut nè vix quidem agnoſcantur. non hic hæ Aquæ feruidæ, vt ibi ſcaturiunt; non abundè ſulphureæ, non balneis dumtaxat vtiles; ſed à ſulphureis copioſis fæcibus, non ſecus, ac marinæ ſolent à ſalſedine terræ percolantis vi depuratæ, priſtinæque ſimplicis aquæ naturæ ferè reſtitutæ, pellucidæ, atque frigidæ erumpunt, potui aptæ, tantum ſolum ſulphurei ſpiritus retinent, quantum nimiam aquæ

nati-

natiuam frigiditatē, humiditatemque corrigat, eaſque ab aqua ſimplici diuerſas, ac minerales conſtituat. id tamen titubanter, ac ſtrictim dictum ſit, cum interim parui referat noſſe, vndè Aqua Salmacina decidatur, dummodò de eius minera, ac viribus ſatis conſtet.

9 Mirum ſanè eo Naturæ artificio ſulphureos ſpiritus huic Aquæ admiſceri, vt olfactui eorum, qui ad ipſam Aquam accedunt etiam procul occurrant, ab alijs ſenſibus, vix, aut ne vix quidem percipiantur. quamuis, nec id mirabitur, qui nouerit apud Chimicos, ſulphur eſſe odorabilium primum, & cætera omnia olere propter ſulphur. Sulphur odorabiliū primum.

10 Si odorem excipias, reliquæ omnes optimarum aquarū potabilium notæ in Aqua Salmacina minimè deſiderantur; Trutina vnà cum alijs aquis tam fontanis, quam putealibus eam exploraui; mihi tamen contigit, quod hac de re ſcribit Plin. lib. 31. cap. 3. quidam, inquiens, ſtatera iudicant de aquarum ſalubritate fruſtrante diligentia, quando perrarum eſt, vt leuior ſit aliqua, equidem omnes eiuſdem ponderis inueni; fortaſsè, quia paucas aquarum heminas appendi, in quibus non eſt ſenſibilis exceſſus, neque enim ad explorandas aquarum meliores, vel deteriores conditiones, & natu- Salmacina optimæ Aquæ omnes fere notas habet.

ras

ras trutinæ experimẽtum penitus reijcio, quod vtiliſſimum, & minimè fallax eſſe multis rationibus, & authoritatibus probat Alexander Petronius Dial. 1. Ioubertus 1. decade paradox. 5. & celeberrimus noſtra ętate Medicus Romanus Paulus Zachia lib. 5. quæſt. medico leg. tit. 4. quæſt. 2. Eandem igni cũ alijs expoſui, omnes eodem tempore calefieri, ac feruere, atque ab igne remotas ſimul ad eundem frigiditatis gradum ſeſe reducere, obſeruaui. legumina æquè Salmacida, atque alijs fontanis aquis, quarum Aſculi eſt uſus, elixari ſum expertus. carnes aqua Salmacina coctæ, non alio colore, vel ſapore inficiuntur, quam ſi communi aqua fuiſſent elixatæ; immò ſi aliquandiù Salmacina aſſeruetur, adeò odorem etiam deponit, vt vel ab exquiſitiſſimi ſenſus palato nulla ex parte mineralis, ſed optima potabilis aqua iudicetur.

Aquæ minerales aliquæ vix diſtinguntur à ſimplicibus.

11 Neque id tamen ei vitio vertendum eſt, tanquam nimis imbecilla ſit, & mineræ minimum participet, cum idem experiamur in alijs multis Aquis mineralibus potui aptis, quæ omnium conceſſu viribus inſignes reputantur, vti ſunt in primis Nucerinæ, & Ficuncellenſes Sancti Caſsiani, cum tamen ſi inſcijs pro aquis ſimplicibus propinentur, nè minimam quidem

dem inferant aquarũ mineralium ſuſpitionem.

12 Aquam igitur Salmacinam ſulphuream eſſe, expreſſa ſigna exhibet odor; obſcuriora, ac veluti adumbrata ſapor, & color; ſi tamen huiuſmodi ſenſibiles qualitates propè ipſum fontem examinentur; hauſta enim aqua, ſi longius aſportetur, paulatim amittit omnes huiuſmodi qualitates, quibus ab aqua ſimplici differt, & ſi paulò diutius aſſeruetur, odorem etiam vetuſtate deponit, nec amplius ab aqua ſimplici diſtingui poteſt, idcirco, quod alijs mineralibus Aquis à Medicis omnibus conceditur, neque huic denegari poteſt. ſi nimirum ex ipſo fonte bibatur, longè efficaciorem, & in ſuis operationibus validiorem futurã, quam ſi longius aſportata, vel plures dies aſſeruata propinetur, quod ſi longinquius ferenda ſit, nullibi melius, quam vaſis vitreis benè clauſis conſeruari. Aqua Salmacina ſul phur participat.

13 Hic obiter noto, hallucinatum fuiſſe Baccium in deſcriptione huis noſtrę aquæ, dum lib. 5. de Thermi. cap. 5. eam aſſerit, ſubflauam eſſe in profundo, aſperiuſculam guſtui, mediocriter ſalitam; cum nihil tale in Aqua Salmacina obſeruetur, ignoſcendum tamen eſt eximio Doctori, qui Romæ ſcribens, nec fontem intueri, nec aquam guſtare potuit. Baccius malè deſcribit Aquam Salmacinam.

De Aquæ Salmacinæ viribus. Cap. VII.

1 EX ijs, quæ hactenus dixi de Minerà & Natura Aquæ Salmacinæ; facilè eſt eius vires colligere, & quidem cum Aquæ virtus admiſto minerali dominetur, omnes omninò Aquæ ſimplicis vires ei denegari non poſſunt, eſſet igitur hùc transferenda tota doctrina 1. cap. huius operis de viribus Aquæ ſimplicis in communi, vbi cum demoſtrarim ad morbos omnes curandos aquam, vel ſe ſolam ſufficere, vel non minimum inter alia præſidia locum obtinere, idem concedendum eſſet Aquæ Salmacinæ; ſed quia vereor, nè id iactantiæ mihi tribuatur; ac nè videar Circulatorum more glorioſis pollicitationibus huic Aquæ famam, authoritatemque velle comparare, preſſius hìc agam, & præſtantiſſimæ Aquæ potius vires aliquas reticebo, quam dubias, & incertas meminerim, quæ ſinè multis argumentis, multiſque experimentis perſuaderi nequeant.

Aqua Salmacina poteſt quicquid poteſt aqua ſimplex.

2. Dicam igitur primo, quod nullus, vt opinor negarit, refrigerandi, & humectandi facultatem

tatem,ſiuè extrinſecus, ſiuè intrinſecus vſurpetur, Aquæ Salmacinæ ineſſe; neque obſtanr admiſti ſpiritus ſulphurei calidi, & ſicci, cum ità ſe habeant, vt impenſam Aquæ frigiditatem, humiditatemque corrigant, non extinguant, equidem non ſum in eà ſententià, vt credam, Aquam Salmacinam cæteris aquis ſimplicibus humectandi, refrigerandique facultate præſtare, ac propterea aduerſus calidas viſcerum intemperies omiſsà aquà ſimplici à medicis præſcribi, cum potius exiſtimem, ſimplicē aquam, ſi tam largè, vt Salmacina ſolet, potetur, intenſiorem frigiditatem, humiditatemque inducturam. Verum Aqua Salmacina eligitur, propterea quod admiſti ſpiritus ſulphurei nimiam aquæ frigiditatem, atque humiditatem corrigentes, veluti munimento ſunt corpori, nè ab illis facultatibus lædatur, non igitur quia magis refrigeret, & humectet, ſed quia minus frigida, minuſque humida eſt, ac propteraà minus pariculoſa, relictà aquà ſimplici, Salmacina propinatur. Aqua Salmacina nō eſt magis frigida, quā aqua ſimplex.

3 Dici tamen aliquo pacto iam poteſt Salmacina magis, quam aqua ſimplex refrigerare, atque humectare (neque vlla erit cōtradictio, ſi rectè intelligatur) quia nimirum, quamuis ob admiſtos ſpiritus ſulphureos in ſe minus frigi- Aquæ Salmacinæ facultates.

da ſit, ad penitiores tamen noſtri corporis partes eo vehiculo facilius penetrans, largius, & latius, quã aqua ſimplex omni vehiculo deſtituta, frigiditatem, atque humiditatem inducat, hoc modo philoſophatur Gal. 1. ſimpl 29. vbi aquã modico aceto, vel vino miſtam efficacius ſitim extinguere, magis refrigerare, & humectare, quam ſe ſola decernit, quia nimirum quamuis refrigeratio (inquit) ſitiſque ſedatio ab aqua proueniat, vt quæ frigidæ naturæ ſit, & humidæ, adminiculo tamen eſt, ac velut alas illi ad omnes corporis partes permeandas addit tum vinum, tum acetum, quæ ipſa tamen nequaquam frigida ſunt, & humida; ſit igitur Salmacina intenſiuè minus frigida, minuſque humida, quam aqua ſimplex, certè extenſiuè erit eadem frigidior, atque humidior.

4 Ex iſtis deindè primis facultatibus, aliæ ſecundæ appellatæ conſequuntur, emolliendi videlicet, lubricandi, exuſtos ſuccos attemperandi, nitroſos humores dulcorandi, bilioſos caſtigandi. hinc feruor ſanguinis compeſcitur: acrimonia bilis retunditur: melancoliæ aciditas proſternitur: pituitæ ſalſedo miteſcit: humorum ſiccitas genito indè ſero diluitur, renes præter fluentis aquę copia mundantur: gignendis calculis materia adimitur: inteſtina Aquæ

pon-

pondere à fœcibus expurgantur: ventriculus inanitur: excitatur fames: extinguitur ſitis, conciliatur ſomnus: aluus emollitur, partes omnes noſtri corporis æſtiuis ſqualloribus arefactæ, non ſecus, ac hiulca terra tempeſtiuè obortis imbribus, recreantur, ac veluti reuiuiſcunt, agẽs de harum aquarum viribus Baccius lib. 5. de Therm. cap. 4. eæ, inquit, vomitum cient, aluum laxant, vrinarios meatus aperiunt, & omnem intemperiem, etiam calidam emendant; nutritionis organa, hepar, renes, veſicam, lienem, vterum, inteſtina abſtergunt. tota æſtate vtiles, ad omnem vſum hanc, & Anticoli aquam comendamus, præſertim in nephriticis.

5 Quod ſi admiſti ſpiritus ſulphurei, non modo, vt aquæ frigiditatem, humiditatemque corrigentes; ſed etiam, vt proprias quaſdam vires ipſimet Aquæ tribuentes, conſiderentur. quis negabit huic Aquæ vim quandam ſpecificam aduerſus ſcabiem, cæteraſque cutis infectiones? quis non agnoſcet eiuſdem vim aduerſus venena alexipharmacam? eandem, & diſcutere, & concoquere, & ſuſpirioſis, purulentaque excuſſientibus prodeſſe, & morbo regio laborantibus opitulari, & podagricos dolores lenire, minimè audebit inficiari, qui Gal. lib. 9. de ſimpl. Med. fac; & Dioſcorid. lib. 5. cap. 73.

de

de Sulphuris viribus legerit. ſũt præterea huic Aquæ admiſti ſpiritus ſulphurei pro vehiculo, ideò hypocondria non inflat, & citiſſimè per vrinam tranſit.

Aquæ Salmacinę encomia ſecundũ chimicos.

6 Si Chimiſtæ perſonam induere hìc vellem, & ſpecioſo Chimicorum loquendi genere, ac more de Salmacina diſſerere, eam appellare, non erubeſcerem, Aquam vitalem, animà præditam, ſolarem, Diuinam, in Natura potentiſſimam, humanæ vitæ Theſaurum, Balſami radicalis mirificè reparatricem, iuuentutis floris conſeruatricem, prępropere ſenectutis retardatricem, humani corporis ab omni tartareà, ſordidàque impuritate vindicatricem; quæ omnia conceptæ Chimiſtarum de ſulphure opinioni innituntur. Sulphur enim apud Chimicos, vt deſcribitur à Quercetano in ſua defenſ. contrà Anonym. cap. 14. eſt humidum illud dulce, oleaginoſum, viſcidum, ſubſtantificum, primigenium, ignis, ſiuè caloris pabulum, leniendi, & agglutinandi vi præditum. ab Hermete olim animam metallorum nuncupatum. addit Scheumman. in Paracelſ. de Morb. mercurial. contag. ſulphur Solem æmulari, digerere, concoquere, nutrire, generare, olfactum oblectare, ſuperflua in corpore conſumere, attrahere.

Sulphuris deſcriptio apud chimicos.

7 Non

7 Non me latet, ſulphuris nomine Chimicę Profeſſores, vt inter alios animaduertit Beguin. lib. 1. Tirocin. Chim. cap. 2. minimè intelligere minerale illud, ſeù medium minerale, quod communiter ſulphur appellatur, & cuius ſpiritus ab Aqua Salmacina participari, nos arbitramur; ſed vnum ex tribus eorum principijs, quod propter analogiam, quam habet cum ſulphure, ſulphur appellant, verum cum iſtius principij vires, & conditiones potiſſimum reluceant in communi ſulphure, non ab re, quæ ipſi prædicant de ſuo ſulphure, communi ſulphuri, quod plurimum de illo participat, tribui poſſunt. cum igitur Aqua Salmacina, non ſolum Aquæ, ſed ſulphuris etiam viribus polleat, miro quodam modo refractis, & Naturæ artificio permiſtis; Aquæ quidem primario, vt dominantis, ſecundario etiam ſulphuris laudes meretur; & miracula, quæ de ſulphure prædicant Chimici, ei aliquà ſaltem ex parte denegari non debent.

Sulphuris nomine quid intelligant Chimiſtæ.

8 Si ſulphur Græcè θεῖον: hoc eſt, res Diuina dicitur; ſi à Cæſalpin. lib. 1. de Metal. c. 28. potentiſſima res in natura appellatur. cur mihi vitio detur, ſi hanc Aquam Diuinam; & in natura Potentiſſimam nuncupauerim? ſed hæc obiter, & perfunctoriè dicta ſint, ſpecioſa enim

Sulphuris laudes.

enim Chimicorum verba parum me mouent.

Salmacinæ vires quædam falsò attributæ.

9 Omitto etiam hìc nonnulla, quæ à rudi plebe, & mulierculis, partim ridiculè, partim ſuperſtitiosè, de Aquæ Salmacinæ viribus iactantur. ſæpius audiui, ſi alicuius animalis iecur, veru traiectum, & aſſatum, aut candelæ flamma vel ignito carbone, aut candenti ferro pluribus locis exuſtum, Salmacinæ immergatur, ità reuireſcere, vt nulla aſſationis, vel vſtionis remaneant impreſſa veſtigia. tam ridiculæ ſententiæ, nec dignatus ſum, experimentum ſumere, cum alioqui facilè fuiſſet; referunt alij, fuiſſe olim quendam Aquæ Salmacinæ riuum, qui niſi Diui Io: Baptiſtæ Natalitijs dicata die quotannis erumperet, eaque elapſa ſiccaretur, Ephimerum eteſium diceres; equidem tantam huic fonti religionem minimè tribuo, atque hæc, & his ſimilia narrantibus, quamuis ſe teſtes oculatos prædicent, aures potius, quam fidem adhibere ſoleo.

10 Scio apud Plin. lib. 31. cap. 4. non diſſimilem rem inueniri, dum narrat in Creta expugnato oppido, quod vocabatur Arcadia, ceſſaſſe fontes, amneſque, qui in eo ſitu multi erãt, & rurſus condito poſt ſex annos, emerſiſſe, quaſi oppidi deuaſtationem indignatæ aquæ ſe ſe abſcon-

ſconderint, eiuſdemque inſtauratione lætantes, caput extulerint, & emerſerint, ità vt liberum illis fuiſſe appareat, ſuprà, vel infrà terram deuolui. Scio alijs etiam admirandis fontibus Aſculanum agrum ditari; omnibus notus eſt Fulginiani Caſtri fons, qui, vt de Siculis fontibus circa Meſſanam refert Plin. hyeme humido, pluuioque tempore inareſcit; æſtate per ſiccitatem exundat, ita vt & nos quodammodo mirari poſſimus, quod in agro Narnienſi mirabatur Cicero ex Plin. ibid. ſiccitate nimirum lutum fieri, imbre autem puluerem. hæc tamen non me mouent, vt ephimerum illum, & eteſium Aquæ Salmacinæ riuum quotannis certà quadam die fluentem admittam.

Mira Aſculani cuiuſdam fontis Natura.

11 Illud quidem negare non poſſum, eſſe Salmacinæ fontem fatidicum, & temporum mutationes, imminentes pluuias, ſerenitateſque odoris auctà, vel imminutà grauitate prædicere. narrant Caſtri Treſini Accolæ, ſe longà obſeruatione didiciſſe, dum ſereno Cœlo fontis odor grauior, longiuſque percipitur, non ità multò poſt nubibus aerem obſcurari, pluuias, tempeſtateſque ſuperuenire, contrà cum vdo, nubiloque Cœlo odoris grauitas miteſcit, ſpem certam afferre proximæ ſerenitatis.

Salmacinę fons fatidicus.

12 Huius euentus cauſa in certos quoſdã

ventos, & aeris diſpoſitiones mihi referenda videtur. cum enim ventorum alij ſerenitates pariant, alij nubes, ac procellas; hi vt alios vapores, ità eos etiam, qui ab Aquà Salmacina expirant, cogere poſſunt, qui denſiores facti, ac vniti, olfactum fortius feriunt: illi reliquos vapores diſſoluentes, ab ijs etiam, quos Aqua Salmacina emittit, aerem vindicant, ac purum reddunt.

Aqua Salmacina grauius olet hyeme, quam æſtate.

13 Eadem eſt ratio, cur hyeme grauiorem odorem, quam æſtate fons iſte ſpiret; hyeme enim aer craſſior, ac vaporum plenus, Aquæ Salmacinæ halitus retinet, nec diſſipari ſinit: æſtate verò aer purior, & tenuior diſſipat potius, ac reſoluit; præterquam quod hyeme fons calidior, vt cæteræ optimæ aquæ ſolent, abundantius euaporat; æſtate frigidior longè minori euaporationi eſt aptus. quem latet, hyemali, pluuioque tempore, terram omnem plures vapores emittere, aeremque extraneis fumis copioſioribus inquinari? ideò tunc temporis cloacæ omnes grauius olent, & Veſuuij montem largius fumare, cernunt Neapolitani, vt propterea nihil miri ſit, ſi & noſter Salmacinæ fons hyeme grauius ſpiret, & imminentes pluuias, ſerenitateſque maiori, vel minori odoris grauitate prænunciet. Atque hæc de Aquę

Sal-

Salmacinæ viribus hìc dixiſſe ſufficiat, plura in ſeqq. cap. patebunt.

De recto Aquæ Salmacinæ vſu Cap. VIII.

1 MEDICAMENTA, inquit ex Herophilo Manardus lib. 8. epiſtol. 1. manus Dei ſunt, & nihil ſunt, addo ego, & venena ſunt; manus nimirum Dei, ſi quis ijs rectè ſciat vti; nihil autem, aut venena etiam ſunt, ſi rectus vſus deſideretur. Quæ profuerunt inquit Hipp. lib. de Arte num. 7. propter rectum vſum profuerunt; quæ verò nocuerunt, ob id, quod non rectè vſurpata ſunt, nocuerunt; ſic Diuinus ſenex, bonos, maloſ vè medicamentorum effectus, non tam eorum viribus, quam recto, vel prauo eorum vſui tribuebat, parui igitur intereſt noſſe, quæ minera, quæ vires Aquę Salmacinæ inſint, niſi rectus etiam vſus accedat. Rectus medicamentorum vſus plurimi faciendus.

2 Verſatur cuiuſque præſidij rectus vſus ex comuni Medicorũ conſenſu, circà eiuſdem præſidij quantitatem, adhibendi modum, locum, & tempus. quo igitur modo, quà menſura, quo tempore, quo loci Aqua Salmacina In quibus cõſiſtat rectus medicamentorum vſus.

vſurpanda ſit hoc capite declarandum.

Salmacina vtendi modus.

3 Quod attinet ad modum, Aquâ Salmacina, non ſolum intrinſecè epota, vel iniecta; verum etiam extrinſecè corpori affuſa balnei loco venit in vſum (ſcio in rigoroſa medendi, methodo, hæc pertinere potius ad vbi, ſeù locum agendi, quam ad modum; ſed arctiſſimis hiſce ſcolaſticorum cancellis, hìc nemo quæſo me coerceat.) Ex ea parari poſſunt inſeſſus, ſtillicidia, clyſteres, iniectiones vterinæ, decoctiones, coqui poſſunt fercula, dilui vinum, medicamenta diſſolui, vno verbo, ad ea omnia vſurpari poteſt, ad quæ vtimur aqua ſimplici, ſi præter aquæ vires, admiſti etiam ſulphurei ſpiritus facultatibus egeamus; præcipuus tamen eius vſus, & vtendi forma eſt, ſi in magna copia, vt reliquæ minerales aquæ ſolent, perpotetur. non latuit hoc præſidij genus, & vtendi modus antiquos medicos, vt videre eſt apud Gal. lib. 4. de ſanit. tuen. cap. 4. vbi inter alios modos, quibus homines vere, & autumno, proprij corporis expurgatione ſibi cauere ſolebant, in hyemem, vel æſtatem; aquarum etiam mineralium potum reponit. nonnulli, inquiens, vſu ſpontè naſcentium Aquarum, quibus, aut ſulphuris, aut bituminis, aut nitri vis ineſt, vere, vel autumno quotannis ſoliti ſunt

Aquæ minerales Gal cognitæ.

ex-

excrementa euacuare; ex quo Gal.tex.confutatur etiam eorum opinio,qui Aquas ſulphureas, omninò potui ineptas eſſe ſentiunt, vt Oribaſ. lib.10.cap.3. & Ætius 5. Aetrab.ſerm.3.c.163. niſi tamen loquantur hi Authores de Aquis illis, quæ plurimum ſulphuris participant, & iccircò calidiſſimæ erumpunt, balneis dumtaxat vtiles, vt in noſtris Thermis Aqua ſancta nuncupatis experimur; ſi enim tam modica ſit ſulphureorum ſpirituum permiſtio, vt propria frigiditate, humiditate, ac perſpicuitate aqua non priuetur, huiuſmodi aqua licet ſulphurea ſit potui tamen eſt vtiliſſima, eaque vel Gal. temporibus, vt aliæ minerales Aquæ ſolent, potabatur. Vndè non audiendus eſt Claudinus, dum in ſua append. de remed. generos, ſect.1. fretus authoritate Antilli apud Oribaſ.& Ætij monet, aquas ſulphureas, quæ ſolum ſulphur participant, quia ventriculum relaxent, & effœminent, fugiendas eſſe, eaſque ſolum ſalubriter potari, quæ ſimul cum ſulphure aliqua etiam alia admiſta habeant metallica, præterquamquòd enim vnà cum ſulphure aliquid etiam argenti latere in noſtra aqua Salmacina probabiliſſimum facit proxima argenti fodina, vt diximus ſuprà cap.6.num.1. tamen non intelligo, cur aqua purè ſulphurea magis, quam

Aquæ ſulphureę nō omnes potui ineptę.

aliæ

aliæ minerales aquæ ventriculo poſſit eſſe infeſta, cum metalla maiorem mihi videantur habere cum ventriculo antipathiam, quam ſulphur, quod inter alias vires, vt num. 5. c. 7. notabamus ex Dioſc. pollet etiam facultate cōcoquendi, ac propterea videatur familiaritatem habere cum ventriculo prima concoctionis officina.

Salmacinà vtendi modus præcipuus.

4 Salmacinæ igitur præcipuus vſus eſt, dum copiosè bibitur, vt ſuà copià naturæ grauis, & leui quadam abſtergendi vi prædita, partim in inteſtina deuoluta, per ſeceſſum exeat, maiori portione à renibus attracta, in veſicam decumbat, & per virnas excernatur. hinc patet, eam primariò naturales partes, per quas tranſit, afficere, ventriculum videlicet, inteſtina, meſenterium, hepar, lienem, renes, & veſicam; ſecundariò verò reliquas etiam partes, & corpus vniuerſum, ſaltem phyſico, ſin minus mathematico contactu.

Salmacina quas corporis partes primatiò afficiat.

Per quas vias tranſeat Aqua Salmacina

5 Memini inter partes naturales etiam lienis, ad quem non multò minorem Aquæ partem, quam ad hepar exiſtimo, peruenire, neque enim ſum in eorum ſententia, qui arbitrantur, totam Aquæ copiam, quæ per vrinas refunditur, à ventriculo permeaſſe ad venas meſeraicas, & hinc ad venam Portam, ex hac

per

per hepatis venulas ad Cauam, indè per emulgentes in renes, &c. Sed vt Aquæ portionem quandam tam longo itinere veſicam petere, negare non poſſum; ità aliam partem, fortaſsè non minorem, breuiori viæ inſiſtere, ſemper ſum arbitratus; ex ventriculo nimirum per vas breue, ac per vaſa gaſtrica in lienem erumpere, & hinc per arterias emulgentes tranſmitti, vt ſentit etiam inter alios Doctiſſimus Sennert. lib. 3. ſuæ Praxis parte prima ſect. 1. cap. 15. & colligitur etiam ex Hipp. lib. 4. de Morb. nu. 9. vbi *Aſſero*, inquit) Hipp. *Vbi homo bibit amplius, & corpus, & ſplenem, aquam in ſe ipſa trahere ex ventriculo*, & paulò inferius ſubdit; *poſtquam autem traxit ſplen, optimum eſt, ſi vetus Aqua, quæ in ſplene inerat, ad veſicam, aut, ventriculum excoletur, & per hæc expellatur*, & eodem lib. num. 32. *procedit*, inquit, *potus in ventriculum, & vbi expletus eſt, ſplen de ipſo ſuſcipit, & diſtribuit ad venas, &c.* hæc Hipp. ex quibus patet, concedendas eſſe in eius doctrina vias ex ventriculo ad lienem, & ex liene ad renes, & veſicam.

6 Mos eſt Aſculanis, Aquam Salmacinam actu frigidam potare, fortaſsè quia eà ſummà æſtate, ac ſub cane vtuntur, quem ſumendi modum, vt non damno, ità etiam actu calefieri, Salmacina quādo frigida, quando calida ſumenda.

&ca-

& calidam propinari poſſe, cenſeo; præſertim, ſi extrà æſtatem exhibeatur, aut ventriculo à nimia frigiditate timeamus, aut flatus abundent, aut ſi tardè, ac difficilè reddatur; non parum enim adiuuabit eius penetrationem actualis caliditas, nec refrigerandi vim extinguet, cum Hipp. ipſe febricitantibus ad febrilem calorem temperandum, ac refrigerandum ſæpè calidam exhibeat, vt lib. de loc. in hom. num. 36.

Medicamẽta, quæ Aquæ Salmacinæ permiſceri ſolent.

7 Non ſecus, ac cæteræ minerales Aquæ potabiles, ità noſtra etiam Salmacina modò pura exhibetur, modò aliarum rerum miſtione alterata; licet autem ferè nullum ſit medicamentum, ſiuè ſoluens, ſiuè alterans, ſiuè occultis, ſiuè manifeſtis agens qualitatibus, quod pro varia medici intentione huic Aquæ permiſceri nequeat; tria tamen potiſſimum medicamentorum genera frequentiſſimè ei adiungimus, quorum primũ Aquæ in inteſtina deſcenſum, & per ſeceſſum exitum adiuuat. Alterum ad renes, & veſicam ducit; tertium Aquæ flatuoſitatem quandam corrigit.

Cur Salmacinę interdum miſcẽda ſoluentia.

8 Optamus ſæpè, vt Aquæ copia in inteſtina potius, quam in renes decumbat, & per ventrem magis, quam per veſicam refundatur; ſiuè quia inteſtina ipſa calida aliqua intemperie labo-

laborent; ſiuè quia ventris duritiem conemur emollire; ſiuè quia excrementis abundent primæ viæ, ac minus tutum faciant Aquæ tranſitum per renes; ſiuè alijs decauſis; propterea quædam admiſcemus deiectoria, modò leuiora, modò etiam fortiora pro natura alui eius, qui Aquam potaturus eſt, facilioris, vel difficilioris ſolutionis, & pro conditione excrementorum in primis vijs ſtabulantium. id genus ſunt omnia medicamenta aluum ſoluentia, præcipuè tamen ſunt in vſu ſy. roſ. vel Viol. ſolut. Mel.roſ. vel viol.ſolut.Manna ad vnc. iij. vel iv. fortiora ſunt ſpecies el.Eleſcoph.Diacartam; & ſimilia ad vnc.i. circiter, qui à dulcibus abhorrent, admiſcere poſſunt Tartarum album præp. ad drach.4. Rad.Salapiæ, vel Mechoacannæ ad drach. 1. circiter, & ij qui propter delitias, non ſolum prædictos liquores, verum etiam huiuſmodi pulueres ferre nequeunt, aliquot Diagridij granis ſinè palati iniuria ſibi Aquam deiectoriam parare poſſunt. didici hoc à Gal.14. Meth.med. cap. 17. vbi illuſtrem illam mulierem Romanam herpete contumaci laborantem, ac omne medicamenti genus reſpuentem, clanculum ſcammonij portiunculam in ſerum, quod ſe ſumpturam promiſerat, immiſcens, inuitam narrat, ſe purgaſſe, atque ſanaſſe.

Quibus medicamẽtis Aqua Salmacina reddi ſolet deiectoria.

I Sol-

Modus miſcendi ſoluentia. cũ Aqua Salmacina.

9 Soluentia huiuſmodi medicamenta in primo Aquæ cyatho exhiberi ſolent, vel ſi copioſiora ſint, partim in primo, partim in ſecundo cyatho ſumuntur. conſultius tamen erit, ſi non ſtatim antè aquæ potum, ſed ſaltem antè horam, vel ex eadem Aqua, vel ex alio quouis liquore, vel etiam in Pil. redacta; ſi poſſint, exhibeantur, ità vt, dum poſteà Aqua potatur, medicamentum ferè iam ſit à natura actuatum; ſi enim ſumitur immediatè antè potum Aquæ, ab Aquæ copia ità diluitur, ac retunditur, vt omnis eius virtus ferè extinguatur; quid enim roboris relinquetur vncijs tribus Sy. roſ. ſol. E.G. ſi ex Aquæ lib. 10. vel 12. diſſoluantur? eundem Aquæ deſcenſum præter propoſita medicamenta, adiuuare etiam poterit vna vel altera Pil. poſt cœnam præcedentis Aquæ potum diei deglutita, de Aloe lotà, de tribus cum Rhab. de Hyera cum Agar. immò, & ex fortioribus, Aggregat: Coch. de fumar. ſine quibus, & ſimiles.

De diureticorum cum Aqua Salmacina miſtione.

10 Quod ſi tantæ curæ non ſit, vt Salmacina inteſtina petat, & per ventrem reddatur; ſed potius vlterioribus partibus hepati, videlicet, lieni, renibus, veſicæ, mederi ſit animus; licet Aqua ipſa multò facilius in has parte ſeſe inſinuet, quam in inteſtina decumbat; cum

 natu-

naturà ſuà potius diuretica ſit, (non loquor hìc de propriè diureticis) quam deiectoria, ac propterea longè minori indigeat vehiculo, tamen ſi corpus minus peruium fuerit, multa miſcere poſſumus, quæ ipſam facilius ad renes, & veſicam traducant. huiuſmodi ſunt Sy. Capil. Ven. Acetoſus ſimplex: de ibiſco: deliquir: de ſucco limon. oximel. ſimpl. fortiora Sy. de duabus, & quinque Rad. Byzant. Acetos diarhod. oximel. comp. Sy. de cichor. cũ Rhab. qui ad vnc. iij. circiter imperari, ſolent, ſiuè primis Aquæ cyathis immiſceantur; ſiuè vt ſuprà diximus de medicamentis ſoluentibus, multò antè Aquæ potum, vel ex eadam Aquà, vel ex alio liqnore proportionato propinentur, idem præſtare poterunt pulueres omnes diuretici, tam ſimplices, quam compoſiti, vt ſunt ſem. Aniſorum, vel dauci, vel eriſimi, vel milij ſolis; vel Rad-liquir, vel Anonidis, vel Rubeæ tinct. vel ſpecies elect. Iuſtini, aut lythonthryp. vel puluis diureticus Magni Ducis Hætruriæ, & ſimiles ad drach. i. circiter, & ſi quis tam præfatos liquores, quam dictos pulueres renuat 5. vel 7. perſicorum nucleos, vel totidem amigdalas amaras antè potum Aquæ comedat, nec alio egebit vehiculo; quod ſiquis tam delicatum habeat palatum, vt æquè dulcia,

atque amara reſpuat, æquè liquores, ac puluc-res auerſetur; is primis Aquæ cyathis guttulas aliquot ſpiritus aciduli, vel chalcanthi, vel terebinthi, vel etiam Chalybis inſtillans vnà cum diuretico vehiculo iucundiſſimum etiam ſaporem Aquæ conciliabit, rarò tamen eget Salmacina huiuſmodi artificioſis diureticis vehiculis, cum ſatis, ſuperque ſua ſpontè renes petat, & ſatis illi ſint pro vehiculo ſulphurei ſpiritus, quos recipit à Natura.

11 Quod attinet ad ea, quæ flatuoſitatem corrigere poſſunt; hæc non antè Aquæ potum, ſed ſimul cum ipſa aqua, inter vnum, & aliud poculum ſumenda ſunt; poſſent etiam aquæ incoqui; verum ebullitione mineralis virtus debilitatur. huiuſmodi autem ſunt ea omnia, quæ flatus diſcutiendi vi pollent, potiſſimum tamen ſunt in vſu, tanquam palato non iniucunda, ſemina Aniſorum, vel feniculi, vel cinamomum, eruntque vtiliora, ſi ſaccharo cooperta vſurpentur, neque flatuoſitatem aquæ tantummodò corrigent, ſed partim virtute ſacchari abſterſiua, partim illorum Aromatum aperitiua, erunt etiam aquæ pro vehiculo, atque illius permeationem, ac deſcenſum non mediocriter adiuuabunt.

Aquæ Salmacinæ flatuoſitatem aliquā corrigentia.

12 Veteres in hunc finem ſuis aquis minera-

neralibus potui aptis ſolebant immiſcere ſalem, vt notat Plin. lib. 31. cap. 6. & colligitur etiam ex Hipp. lib. de intern. affect. num. 15. vbi in quodam morbo renali exhibet duos congios, hoc eſt 18. libras decoctionis cicerum, cuiuſmodi medicamentum reſpondet noſtris aquis mineralibus; monet autem ibi Hipp. vt decoctio illa iniecto ſale propinetur, verum non dum guſtarant antiqui ſacchari dulcedinem, nos pro ſale, ſaccharum admiſcentes, ſimul abſterſiuam, facilius permeantem, ac palato gratiorem aquam reddimus.

Antiqui aquis mineralibus immiſcebant ſalé.

Expenduntur reliquæ conditiones, ad rectum aquæ Salmacinæ vſum pertinentes. Cap. IX.

1 SVPEREST videre, quà menſurà, quo tempore, quo loci bibenda ſit aqua Salmacina, ac de menſura quidem, vix quicquam certi generatim decerni poteſt; cum medicamentorum quantitas ex Gal. 3. Meth. med. cap. 3. nec dici, nec ſcribi, nec animo percipi poſſit. illud quidem omnes concedent, non vnum, vel duos cyathos aquæ Salmacinæ bibendos, ſed plures, & plures, quot

De quantitate aquæ Salmacinę potandæ.

verò,

verò, ac quantos, melius cognoſcet, ac determinabit is, qui potat, ob ſui corporis notitiam, quam medicus, qui imperat, cui indiuiduorum omnium ſingulares naturæ perſpectæ eſſe non poſſunt.

2 Vt tamen, ſin minus in indiuiſibili, certè cum latitudine ſumendæ aquæ quantitatem aliquam definiamus, crediderim, nec infrà 4. libras, nec vltrà 18. propinari debere, ità vt minima aquæ menſura ſit librarum 4. maxima verò librarum 18. ſi enim parcius bibatur, non fungetur munere præſidij generoſi, & cum naturam potius copià, quam qualitate ad ſui excretionem ſtimulet, infrà 4. libras epota Naturæ minimè grauis, vix per vrinam, ac nè vix quidem per ſeceſſum reddetur. contrà largius eà ſe replere, ac bibendo 18. libras excedere, humani ventriculi non eſt, tantumque facinus, nè Germani quidem, vel Poloni multibibi facilè auderent; immò erubuiſſem ſanè ad 18. vſque libras potandæ aquæ menſuram extendere, anguſtiores profectò poſuiſſem terminos, niſi mihi patrocinaretur, & exemplum præberet Hipp. qui lib. de intern. affect. nu. 15. totidem cicerum decoctionis libras exhibet.

3 Alij igitur 7. alij 10. alij 12. alij 15. delicatuli quidam ſaltem 4. bibaciſſimi etiam 18.

aquæ

aquæ Salmacinæ libras potent. non ità tamen, vt vnico hauſtu, & vna potatione tantam aquæ copiam abſorbeant, quod nè à Dipſade quidem commorſi facient. ſed vt partim bibendo, partim in ambulando, partim confabulando, & cum ſocijs de potu hilarè certando, integræ horæ ad bibendum conceſſo ſpatio, & amplius, totam aquæ copiam in ventrem ingerant, & ſiquid ingeſtæ vomitu reijciatur, vt ſæpè ſolet, nouam ſubindè reingerant. & quoniam repentinæ, & inſignes mutationes à medicis omnibus improbantur ex Hipp. doctrina 2. Aph. 51. ſatius erit à paucioribus, & minoribus poculis incipere, & in dies ad plura, amplioraque procedere; ità fiet, vt ventriculus ferendo oneri aſſueſcat, & natura ab aquæ copia non opprimatur, nec à rei nouitate perturbetur.

4 Quod attinet ad tempus. ſcio apud exactam methodum profitentes, remedij tempus indicari à pręſentia indicantis, & abſentia prohibentis, vt Capiuac. de Meth. med. lect. 27. ac propterea tũc temporis ſumendam eſſe aquam Salmacinam, cum præſentes ſunt illæ affectiones, quas aquà Salmacinà curari, diximus ſuprà cap. 7. & melius explicabimus infrà cap. 14. & ſeqq. abſunt verò illæ conditiones, quas aquæ Salmacinæ potum prohibere, dicemus infrà cap. 11.

De tempore ſumendi aquam Salmacinam.

cap. 11. & 12. verum liceat hìc mihi paulò craſſiori minerua de Salmacinæ ſumendæ tempore verba facere, medicus enim debet afficere idiotas, vt ait Hipp. lib. de Vet. med. num. 5.

5 Olim iam in more poſitũ eſt Aſculanis, ſummà dumtaxat æſtate Salmacinæ potu, vti; fortaſsè quia tẽpus illud naturà ſuà ſiticuloſum; facilè ad fontes, & ad aquæ potum omnes inuitet. Ego tamen cenſeo, alijs etiam temporibus tam generoſo præſidio nos poſſe frui, ac de vere quidem, & autumno clara eſt Gal. ſententia 4. de ſan. tuen. cap. 4. vbi ſuà etiam tempeſtate minerales aquas, ac præſertim ſulphureas vere, & autumno potari ſolitas, refert; nonnulli, inquiens, vſu ſpontè naſcentium aquarum, quibus, aut ſulphuris, aut bituminis, aut nitri vis ineſt, vere, vel autumno, quotannis ſoliti ſunt excrementa euacuare.

6 De hyeme maior eſt difficultas; verum ſi nec iſto quidem tempore calidi morbi nobis parcunt, immò tantò ſæuius inuadunt, quantò tempori minus congruunt ex Hipp. 2. Aph. 34. ſi media hyeme aquas, & ptiſſanas hordeaceas, ſerapia frigida, cæteraque refrigerantia præſidia vſurpamus; quid ni & aquà Salmacinà vtemur? fateor tamen, vt frigidæ tempeſtatis aliquam habeamus rationem, non ſub

Dio

dio ambulantibus, ſed clauſo, calidouè conclaui; nec actu frigidam, vt æſtate ſolet, ſed ſubcalidam hyeme Salmacinam eſſe imperandam; ità nobis ſuadente non ſolum ipſamet aqua Salmacina, quæ æſtate frigida, hyeme tepida erumpit, ſed auctoritate etiam Hipp. qui lib. de rat. vict. in acut. num. 9. oximel ipſum æſtate frigidum, hyeme calidum exhibendum monet; ſic periculum, nè aqua facilè permeet, & reddatur ob corporis adſtrictionem, quam ſecum ducit brumalis frigiditas, actuali aquæ & cubiculi caliditate effugiemus.

7 Ex diei partibus, mane ſolet Salmacinæ vt aliarum aquarum mineralium potui dicari, hora poſt nocturnum ſomnum, & quietem, vigiliæ, ac motui aptiſſima; quando ventriculus peracta concoctione, & à chylo vacuus, excipiendæ aquæ eſt idoneus. Hora ſumẽdi Salmacinam.

8 Quot nam dies, plures nè, an pauciores aquæ Salmacinæ potui tribuendi, ſumentis vires, ætas, morbi magnitudo, anni tempus, conſuetudo, & reliqua nobis oſtendent; plures enim dies potare debet robuſtus, quam imbecillis, iuuenis, quam ſenex, vel adoleſcens; diuturniori potu eget morbus magnus, quam paruus, habitualis, quam recens, plures potus exigit anni tempus æſtiuum, quam hyemale; Quot dies aqua Salmacina ſumenda.

plures potus ferunt multibibi, quam temperantes; vt autem fines aliqui ſtatuantur, vltrà quos progredi non liceat; non citrà quinque, nec vltrà quindecim dies in Salmacinæ potu immorandum, cenſeo; latitudo decem dierum, qui inter 5. & 15. intercednnt ſatis, ſuperque mihi ſatisfactura videtur, diuerſitati virium, ætatis, morborum, anni temporum, conſuetudinum, & aliarũ circumſtantiarum, quas prudens medicus ob oculos habere debet. antè quinque dies à Salmacina diſcedere, niſi mali quid ſuperueniat, inconſtantiæ eſt; vltrà quindecim dies in eius potu perſeuerare, intemperantiæ, vt enim antè quinque dies vix boni quicquam præſtare ſolet; ità poſt quindecim, non niſi detrimento poteſt eſſe. Alij igitur 7. alij 9. alij 10. alij 12. dies, alij etiam 15. Aquam potent.

Quibus ætatibus aqua Salmacina propinanda.

9 Ad tempus reducitur etiam bibentium ætas, & quæri poteſt, vtrum omni ætati hæc aqua ſit propinanda-quà in re ego decernerem, neque pueris antè 14. annum, neque ſenioribus poſt 70. tutum eſſe aquæ Salmacinæ potum. illis quidem ob exceſſum humiditatis; iſtis ob imbecillitatem natiui caloris, vtriſque ob virium tenuitatem, generoſum præſidium, humidum, & frigidum, periculosè adminiſtratur.

tur. loquor autem hìc de copioſo aquæ Salmacinæ potu, & ad plures libras exhibito, modicus enim eiuſdem, loco aquæ ſimplicis, inter comedendum potus, etiam vltimæ ſenectuti, infantili etiam ætati, ſi opus fuerit, ſinè vllà detrimenti ſuſpicione concedi poteſt.

10 Non deſtruit hanc regulam, quod aliqui, etiam in ætate admodum ſenili, & 70. annum excedente, hanc aquam innoxiè, immò ſummà cum vtilitate quotannis potent, vt obſeruabimus infrà cap. vlt. præterquamquòd enim ętates non annorum numero, ſed habitudine corporis menſurantur, vt ait Celſ. lib. 2. cap. 10. aliud eſt rei naturam ſequi, & regulas generales tradere; aliud peculiares quoſdam caſus adducere, & obſeruationes proponere, contingunt enim monſtra in Arte, ſicut in Natura; multaque accidere interdum videmus, admiratione potius, quam imitatione digna, à quibus regulę generales peti non poſſunt, neque enim, vt ait Gal. 3. Aph. com. 11. ſi ex medicinà aliquà purgatos videris ſex, vel ſeptem homines, dicere certè poteris, quod omnes poſt hac homines ex neceſſitate purgabuntur. octogenarium igitur aliquem aquà Salmacinà feliciſſimè vti, ad vberiorem ipſius aquæ laudem, infrà cap. vlt. obſeruamus, & admiramur, hìc

K 2 tamen

tamen rara, quæ non ſunt Artis, parui facientes, ſeptuagenario maioribus, hanc aquam exhiberi non poſſe ſinè temeritate, vniuerſim decernimus, ac ſtatuimus.

De anno biſextile, quęſtio.

11 Vtrum anno biſextili aqua Salmacina ſuis viribus polleat, & æquè, ac alijs annis ſalubriter potetur, non eſt, cur multis differam; longè magis mihi quadrat de hac re opinio Claudini, quam Sauonarolæ, exiſtimat Sauonarola lib. 2. de Balneis cap. 5. non malè ſentire vulgus, aquas omnes minerales, ac præſertim Porrettæ nuncupata, anno biſextili, non modo inutiles, ſed etiam noxias fieri, & cauendas eſſe; nititurque huius euentus multas afferre rationes, multas obſeruationes, & experimenta producit, quæ tamen me non cogunt, vt à Claudini ſentẽtia diſcedam, qui in ſua Append. de remed. generoſior: ſect. 1. agens de Aquarum mineralium potu, nullam anni biſextilis habendam eſſe rationem, monet, irridetque vulgarium aliter ſentientium metum, cum huiuſmodi annus merum ſit hominum inſtitutum, & nihil penitus in aquis vi ſuà immutare poſſit. hanc ſententiam eò libentius amplector, quò anno biſextili hæc ſcribens, nephas eſſe duco contrà annum biſextilem ſentire.

12 Quod attinet ad locum, iam innuimus

ſuprà

ſuprà cap. 8. num. 3. Aquam Salmacinam, & intrà, & extrà corpus vſurpari poſſe, hìc de alio loco agentes, ex ipſo fonte hanc aquam potandam eſſe, cenſemus; quamuis enim aquæ omnes minerales, vbi ſcaturiunt, efficaciores ſint, longius præteruectæ, ac diutius aſſeruatæ debiliores, hoc tamen, vt notat Claudinus loco ſup. cit. peculiare eſt in primis aquarum ſulphurearum, quæ prę cæteris ſuam mineram facillimè deponunt; ideò Mercurial. tom. 1. conſil. 40. aquas patauinas, vtpotè ſulphureas, aliò trāſportatas nulli ferè vult eſſe vſui; fortaſsè quia ſulphurei ſpiritus exhalationi maximè ſunt opportuni; idque ſanè experimur in noſtra Salmacina, quæ poſt aliquot dies omnem deponit odorem, & ab aquà ſimplici difficillimè, aut nullà ratione diſtinguitur, quæ cum ità ſe habeant, nullibi melius, quam ex ipſo fonte hæc aqua bibitur, vbi nullis diminuta viribus, integra minera felicius aget; quia tamen non omnibus fontem adire licet, in alias etiam regiones, & longinquius eam aſportari poſſe, cenſeo, nec propterea fieri omnino viribus effoetam, præſertim ſi vitreis vaſis arctiſſimè clauſis conſeruetur. licet enim multum odoris, & ferè etiam totum amittat, non propterea reijciatur tamquam inutilis, & exoleta; cum eiuſdem rationis

De loco vbi ſumenda ſit aqua Salmacina.

ſint

ſint aliæ multæ minerales aquæ, nec odore, nec ſapore, vel colore, à ſimplicibus aquis diſtinctæ, vt experimur in Nucerinis, Ficuncellenſibus, & alijs, quæ tamen ab omnibus medicis minerales habentur, & pro medicatis propinantur. Atque hæc de recto aquæ Salmacinæ vſu.

De Victus ratione ſeruanda in aquæ Salmacinæ potu. Cap. X.

1 DIÆTA, quæ rectà ſex rerum non naturalium adminiſtratione continetur, quamuis ſit vnum ex tribus medicis inſtrumentis, quibus præſentes morbi curantur, & imminentes præcauentur; tamen quia reliqua duo inſtrumenta parum proſunt, niſi & ipſa accedat, non ſolum vt tertium inſtrumentum ab alijs diſtinctum, à medicis plurimi facienda eſt, verum etiam aliquo pacto, ſaltem reductiuè, vt ità loquar, ad aliorum etiam rectum vſum pertinere, videtur, ideò explicatis hactenus à nobis, quæ propriè faciunt ad rectum aquæ Salmacinæ vſum, de ratione victus tunc temporis ſeruanda, quæ minus propriè quidem, & reductiuè ad eiuſdem

re-

rectum vtendi modum confert, plurimi tamen momenti eſt, hoc cap. agendum.

2 Omiſſo igitur aere, de quo ſatis diximus ſuprà cap. 9. num. 4. & ſeqq. dum de Salmacinæ ſumendæ tempore egimus, cibi eligendi ſunt boni ſucci, & facilis concoctionis, veluti ſunt inter carnes, verueciNæ, haedinæ, vituſorum lactentium, pullorum gallinaceorum, pipionum, auium paruarum, conueniunt oua, fercula ex butiro; inter fructus concedi poſſunt nuclei pinei, piſtacia, amigdalæ dulces, vuæ paſſæ, pira, vel etiam mala, ac perſica cocta, pruna dulcia; ex herbis borago, intybus, lactuca, fœniculum, lupulus, aſparagus. nec omnes omninò piſces reijcio, ſaxatiles, ſarda, mullus, lupus, lingulaca, trutta, ſilurus, & ſimiles, dummodò frixi non apponantur, comedi poſſunt. De ciborũ qualitate.

3 Vinum ſit album, oligophorum; vel ſi potentius, vt comuniter ſunt Aſculana vina, aquà benè diluantur; nè capiti, cui aquæ omnes minerales nocere ſolent, à vino etiam nocumentum accedat; quam vis hac in re non opus ſit multà diligentià, cum Salmacinam potantes inter comedendum, parciſſimè bibant; adeò enim largiſſimis aquæ poculis manè ſitim explent, vt poſteà dum prandent, vel coenant, vix ſemel, aut bis ad potum incitantur. quod ſi De Vino.

ven-

ventriculo ab aquæ copià, & frigiditate vis aliqua inferatur, & imbecillior fiat, vino paulò generoſiori, minuſque lymphato inter comendendum ei indulgeri poteſt, quo & ab accepta noxa ſubleuetur, & ad futurum aquæ potum reddatur validior.

De ciborũ quantitate

4 Cæterum quantitatis non minus, quam qualitatis ciborum eſt habenda ratio, & cum fieri non poſſit, inquit Hipp. lib. de Aer. Aq. & loc. vt ijdem homines ſimul multum edant, ac bibant. Salmacinam ſumpturi, quia largis, multiſque poculis ſe ingurgitare, debent, ciborum conſuetæ quantitati multum detrahant, neceſſe eſt. equidem ſemper exiſtimaui, ſibi melius conſulere eos, qui dum aquam potant, ſemel tantum, quam qui bis in die, vt moris eſt, cibum capiunt, & cum aqua plerumque non ità ſtatim reddatur, ſatius ſemper eſſe duxi, prandium potius, quam cœnam omittere, ità tamen, vt cœna conſueto celerius ſumatur, tum propter intermiſſum prandium; tum etiam, vt longiori tempore poſſit natura ciborum concoctioni vacare, antèquam nouæ aquæ potandæ ſequenti die tempus ſuperueniat. Quod ſi quiſpiam ob conſuetudinem, vel corporis habitum, vel ætatem; vel alijs de cauſis huiuſmodi inædiam ferre nequeat, ſed

Intermiſsi conſueti prandij damna.

ex

ex intermiſſo cõſueto prandio incidat in quandam totius corporis impotentiam, viſcerum veluti grauitatem, oris ventriculi dolorem, pallorem oculorum, oris amarorem, vertiginem, animi deliquium, & reliqua ſymptomata, quæ conſueti prandij intermiſſionem ſequi, author eſt Hipp. lib. de Vet. med. num. 19. & de rat. vict. in acut. num. 16. is loco prandij leui ientaculo poteſt eſſe contentus, quo nec ventriculum grauabit, & inædiæ damna effugiet.

5 Dum minerales aquæ potantur, ſolent Medici diurnum ſomnum prohibere, tum nè illæ aquæ ob copioſos vapores capiti infenſæ, illud per ſomnum magis repleant, ac lædant; tum etiam nè diurnus ſomnus aquæ reddendæ ſit impedimento, cum dormientibus omnes euacuationes præter ſudores, & inſenſibilem tranſpirationem cohibeantur. hoc ſanè præceptum non damno. nihilominus corpora gracilia, admodum calida, ſomno interdiù aſſueta, ſi aquam Salmacinam ſummà æſtate potent, eamque ad meridiem abundè reddiderint, aliquà etiam dormitatione frui poſſe, ſentio ſinè detrimento. An Salmacinam potantes poſſint interdiù dormire.

6 Si in alijs rebus non naturalibus, maximè in motu, & quiete, mediocritatem poſtulat aquæ Salmacinæ potus; vt enim quies nimia, De motu & quiete Salmacinã potantiũ.

L quæ

quæ aquæ potum præcedit, hominem minimè bonum potatorem facit, quę verò potum ſequitur, aquę intrà corpus retentioni fauet, quorum vtrumque noxium eſt; ità motus immodicus antè aquę potum quidem, ipſam aquam ex medicamento venenum facit, ſudanti ex itinere inquit Celſ. lib. 1. cap. frigida potio perniciofiſſima; poſt potum verò maiores eliciendo ſudores, aquæ ſeceſſum, ac mictionem impedit, præterquamquod corporis excalefactione, refrigerationi, quam aquæ Salmacinæ potu intendimus, aduerſatur.

7 Qui igitur hanc aquam ſalubriter potare cupit, antèquam ad fontem perueniat, vel hydrophoro porrigat manum, cyathumque ori admoueat, inambulatione citrà ſudorem, ac defatigationem ità corpus exerceat, vt largis aquæ potationibus reddatur aptius; poſt potum & inter ipſos etiam fœcundos calices, ità moueatur, ambuletque vt aqua partim per ſeceſſum, partim per vrinas facilius exeat, non in ambitum corporis, quod violentæ efficerent exercitationes, diſtribuatur. Aqua abundè ſatis reddita, quòd propè meridiem ſolet contingere; tunc tandem corpus quieti tradendum eſt, tum vt ſiqua relicta ſit ex matutinis deambulationibus laſſitudo, auferatur ex Hipp. 2.

Aph.

Aph. 48. tum vt poſtero die, poſt debitam quietem ſurgat ad motum alacrius. dum tamen motus mediocritatem ad aquæ Salmacinę potum requiro, minimè intelligi velim de rebus venereis, à quibus omnimodè ceſſandum eſt; nè ventriculi virtus aquæ pondus latura, proſternatur; nè refrigerandum corpus, potius incaleſcat; nè adæquandi, ac temperandi humores, agitatione, & conquaſſatione magis diſgregentur. A' venere abſtinendum in potu Salmacinæ.

8 Quod attinet ad excreta, ac retenta; dum aqua potatur, non eſt cur Medicus valdè ſollicitus ſit de alui ſubductione, cum aqua ipſa mollem, ſæpè etiam fluidam aluum facere, ſoleat. antè aquæ potum, dubitari poteſt, vtrum neceſſaria ſit, corporis expurgatio, nec nè, & ſanè ſi ſpectetur præſidij magnitudo, cum aquę Salmacinæ potus inter generoſa remedia meritò reponatur; corporis expurgationem, non ſecus, ac reliqua præſidia generoſa videtur ſupponere, contrà ſi anni temporis habeatur ratio; cum ſummà æſtate potiſſimum aqua bibatur, quando ex Hipp. decreto 4. Aph. 5. difficiles ſunt medicationes, omnem corporis expurgationem videtur renuere. De excretis & retentis. De corporis expurgatione antè aquæ Salmacinę potum.

9 Equidem, vt rem paucis abſoluam, ſicut infelicem ſemper cenſui illorum Medicorum

timiditatem, qui ad aquæ Salmacinæ potum, non audent accedere, niſi præmiſſa mucidà illa, & triuiali purgationis methodo, quà exhibent primò pharmacum leue, quod appellant lenitiuum, mox 5. vel 7.ſyrupos, tandem pharmacum validius, appellant ſolutiuum, ità eorum ſemper reformidaui temeritatem, qui nullo adhibito diſcrimine, nulla corporis, habitus, & latentis cachæxię habita ratione, omnibus omninò, ſine vlla præcedenti corporis purgatione, Salmacinam propinant. media via incedendum arbitror. & eos quidem, quos excrementorum copia fatigat, & cachęticos appellamus, purgatione indigère antè Salmacinę potum, exiſtimo, vno, vel altero exhibito medicamento, vel leuiori, vel fortiori, pro ratione ducendorum humorum, & naturalis alui facilitatis, vel duritiei, idque ſucceſſiuis, vel alternis diebus, aut maiori etiam interuallo, vt virtus feret, modò interpoſitis ſi opus fuerit, modò omiſſis præparantibus; quæ res in communi definiri non poteſt, nec vnicà methodo compræhendi, in omnibus ſingularibus, quibus medemur, adamuſſim ſeruanda. illi contrà, qui puriorem corporis habitum ſortiti, minus colligunt excrementitiæ ſaburræ, fruſtrà purgationibus, quibus non egent ad aquæ Salmacinæ

po-

potum præparantur. ſed ſtatim bibere poſſunt, aut certè deiectorij aliquid primis aquæ cyathis, ſemel, aut ſemel, & iterum permiſcentes, ſibi ventris ſubductionem moliri, & impedimentum, quod à primarum viarum excrementis timent, auferre.

10 De venæ ſectione ſi quærat aliquis, vtrum neceſſaria ſit antè Salmacinæ potum; negatiuè generatim reſpondendum; ſi tamen proponatur aliquis plethorici, atque athletici corporis habitus, cui venæ ſanguinis pleniſſimè turgeant, & abundè epota Salmacina, vel venas ingredi nullo modo poſſit, vel non ſinè periculo earum diſruptionis; propterea dolores pariat, & difficillimè per vrinam reddatur; is nullo modo melius ad aquæ potum diſponitur, ac præparatur, quam venæ ſectione. An venæ ſectio neceſſaria ſit ad aquæ Salmacinæ potum.

11 De animi perturbationibus non eſt, cur verba faciam; res eſt omnibus compertiſſima, nil magis medicamentorum bonos effectus impedire, quam animum curis anxium. Erumpit aqua Salmacina non in foro, ſed ruri; non ad ripam ſuperbi Tyberis, ſed amoeni Caſtellani; non in Aulà magni Principis, ſed in agro ſpecioſæ Vrbis; velutì nos commonefaciente Natura, ijs dumtaxat hanc aquam profuturam, atque ijs ſolis erumpere, quos, nec forum con- De Animi paſsionibus.

contentioſum, & incertum; nec ambitioſa Roma, nec Aula inſtabilis, & lubrica, curarum æſtu ſollicitat. ab animo vacandum, vt corpori vacemus; Matutinæ inter amœna vireta deambulationes, quæ huius aquæ potum comitari feliciſſimè ſolent, curis ſolutum expoſcunt animum; nec poteſt Caſtellani aquarum ſeſe ad ſaxa frangentium ſonitus, gratus illorum auribus accidere, quorum animus maiori curarum ſtrepitu reſonat; nec peruolitantium luſciniarum concentus, eos poteſt oblectare, quibus interius luget Animus. hilares igitur illi ſumendi ſunt dies, qui Salmacinæ potui dicantur.

De corrigendis Symptomatibus, quæ aquæ Salmacinæ potum interdum ſequuntur. *Cap. XI.*

1 SI QVÆ hactenus dicta ſunt de recto aquę Salmacinę vſu adamuſſim ſeruarẽtur, nihil opus eſſet huius capitis doctrinâ; aqua enim Salmacina ritè propinata, ſemper prodeſt, nocet nemini, nec mala ſymptomata remouenda erũt ei, qui hanc aquam rectâ Methodo exhibuerit. verum quia

tanta

tanta eſt humanæ mentis caligo, tanta rerum obſcuritas, tam difficilis medica praxis, vt Medicum illum magis laudandum dicat Hipp. lib. de Vet. med. num. 16. qui minus delinquat, quaſi delinquere, omninò ſit neceſſe; fieri non poteſt, quin aliquando hæc aqua minus feliciter exhibita, non modo non proſit, ſed etiam noceat, & quædam excitet ſymptomata, quibus Medicus teneatur occurrere, nec confidat quiſquam aſſiduis ſuis ſtudijs, ingenio, doctrinæ, longo rerum vſui, cum ſæpè, vt ait idem Hipp. initio libri de Fractur. qui ſapientiores ſibi videntur, hi præ cœteris magis peccent. Medica Praxis difficillima.

2 Multiplex à Medicis etiam peritiſſimis in aquæ Salmacinæ vſu committi poteſt error; modò largiori, quam par ſit, modò parciori copià exhibetur, interdum corpore cacochymo, penituſque impurgato; interdum purgantibus medicamentis nimium afflicto, ac debilitato: alij plures; alij pauciores dies potant: quidam poſt potum nimis; quidam parum exercentur: rariſſimi congruam ſeruant victus rationem, vt omittam indiuiduales corporum diſpoſitiones, aquam reſpuentes, quæ tamen à Medicis à priori cognoſci non poſſunt. his de cauſis, alijſque plurimis fit, vt aqua naturà ſuà ſaluberrima, ob malum vſum quibuſdam noxia euadat; Multipliciter errare poſsũt Medici in aquæ Salmacinæ vſu.

coga-

Cogaturque Medicus ortis indè malis ſymptomatibus occurrere.

Damna, quæ ſequuntur malum aquæ Salmacinæ vſum.

3 Multa ſanè damna Salmacinam imprósperè potam ſequi ſolent; ſed nè in incertum mea vagetur oratio, ad tria tantum ſymptomata principaliora me conuertam, aquæ videlicet retentionem: dolores hypocondriorum; & capitis grauitatem; alijs quam plurimis minoris momenti, Medicorum prudentiæ, ac iudicio relictis, præſertim cum ad hęc tria facilè reduci poſſint.

De morbo ſa aquę retentione.

4 Omnium primum, ac præcipuum, quod Medicos maximè ſollicitat, pertinet ad excreta, & retenta, ac reduci poteſt ad genus ſymptomatum, quod appellant exiens mutatum; quandò nimirum aquæ copia in ventrem ingeſta, ibidem præter naturam moratur, nec vt aſſolet per ſeceſſum, vel per vrinam refunditur. ſymptoma ſanè non contemnendum, quod pleroſque ab vlteriori aquæ potu, nec immeritò deterret; cum non modò leuiores alios morbos, ſed, & hydropem ipſum, peſſimum morbi genus poſſit excitare. teſtis ſit Hipp. lib. de intern. Affect. num. 25. vbi inter alias hydropis cauſas, illam primo loco reponit, ***Si quis æſtatis tempore ſiti vexatus, aquam multam biberit;*** ſed melius ad rem noſtram ſe teſtem oculatum

latum præbet Plin. qui lib. 31. cap. 6. de largo aquarum mineralium potu verba faciens; atque eorum reprehendens inſanam bibendi licentiam, qui ſeſe ad hydropem vſquè & totius corporis tumefactionem aquà ingurgitant; ſimilis error, inquit, quo quidam plurimo potu gloriantur, vidique iam turgidos bibendo, intantum, vt annuli integerentur cute, cum red. di non poſſet hauſta multitudo aquæ.

5 Huic ſymptomati nullo meliori modo occurrimus, quam remouendo retentionis cauſas; quarum aliæ pertinent ad Aquam ipſam epotam; aliæ ad corpus, quod potauit. vitio Aquæ ſæpè fit eiuſdem retentio, non quidem ob naturam, & qualitates aquæ in ventriculo innatantis, ac viſcera malè permeantis, vt ſunt multæ crudæ aquæ, ac duræ, de quibus Hipp. lib. de Aer. Aq. & loc. num. 16. abſunt enim hæ conditiones à noſtrà Salmacina, quæ naturà ſuà facillimè, ac citò ſecedit, & emingitur; ſed ob hauſtam ipſius copiam, vel minorem, vel maiorem, quam par ſit; vt enim nimis parcà manu ſumpta, quia Naturæ non eſt oneri, facilè retinetur, & non excernitur; ità largè, effuſèque ſuprà Naturæ vires imprudenter epota, quia vires obruit, à Natura minimè regulari, nec excerni poteſt. Aquæ retentionis cauſæ.

M Præ-

6 Præterquam quod immodica repletio ipſa per ſe nulla habita ratione oppreſſæ virtutis, aquæ exitui poteſt eſſe impedimento; exemplo ſit experimentum allatum ab Hipp. 4 de Morb. num. 33. ideſt vas anguſti oris, quod ſi aquà, vel alio liquore oretenus repletum fuerit, & inuertatur, vel nihil, aut difficillimè vomit; ſemiplenum verò, quicquid continet humoris, abundè refundit, ſola veſicæ nimia repletio, vt docet Gal. 6. de loc. aff. cap. 4. interdum mictionem tollit. ſola ciborum copia ventriculum nimis replens, alui ſtypticitatem operatur, dum *cibi*, inquit, Hipp. lib. de flat. num. 10. *In ventre diù immorantur; immorantur autem, cum præ multitudine exire, nequeunt*. ſola venarum turgentium diſtentio, ac renum immodica plenitudo ſæpè vrinæ difficultatem facit, ſeſe mutuò ſeroſæ colluuiei partibus impedientibus, dum omnes æquè primò feſtinant ad exitum, hùc ſpectat Aph. ille Hipp. 26. ſect. 6. *vrinæ difficultatem venæ ſectio ſoluit*, affectus nimirum, qui à multitudine proficiſcitur, imminuta copia, laxatiſque vijs ſedatur, vt hinc pateat, falſam eſſe illorum Medicorum ſententiam, qui de Salmacina aſſerunt, eò facilius reddi, quò maiori copia bibitur. errant ſanè, ac pinguiter hallucinantur, cum ſæpè nimia copia poſſit

eſſe

eſſe cauſa, cur retineatur, aut difficillimè reddatur. hactenus allatæ retentionis cauſæ non ſunt tanti momenti, vt ab vlteriori Salmacinæ potu nos deterreant, cum remoueri facilè poſſint, auctà, vel imminutà prudentis Medici arbitrio aquæ menſura.

7 Quæ verò ad corpus eius, qui aquam potauit pertinent retentionis cauſæ, eas in duas claſſes diſtribuo, quarum aliæ corrigi poſſunt, & aquæ vſum propterea non impediunt; aliæ quia vix, aut nè vix quidem correctionem admittunt, aquæ potu omninò interdicunt; illæ reducuntur ad aliquod erratum in ſex rebus nō naturalibus; hæ verò pertinent ad antiquum aliquod viſcerum vitium, aut indiuidualem, & ignotam ſingularis corporis proprietatem.

8 Si quis, e.g. ventriculo externarum cruditatum pleno, & non dum ſuperiori concoctà cœnà aquam Salmacinam potarit, vel eà epotà quieti ſe tradiderit, omni corporis exercitatione remotà; aut ad copioſos vſquè ſudores laborarit, vel non ità multò poſt puerorum more ientauerit; is nihil miri eſt, ſi aquam feliciter non reſtituat, verum huiuſcemodi retentionis occaſiones, immutata victus ratione, Mediciſque præceptis ritè ſeruatis, facilè ſummouentur, ità vt aquæ potus non intermittatur. con-

trà ſi quis omnem adhibens curam in victu nihil delinquens, præmiſsà etiam corporis purgatione, heſternà cœna plenè concoctà, diſtributàque, congruam aquæ copiam potet, eamque moderatà corporis motione, prandij dilatione, vel etiam omiſſione reſtituere conetur, non tamen reſtituat, ventremque præ grauem ſentiat, aquæ fluctuationem, onuſque infeſtum laborioſè ſuſtineat; huic enim verò, vel antiquæ, & contumaces partium naturalium obſtructiones, vel natiua earumdem viarum anguſtia, vel alia quæuis indiuidualis, & occulta proprietas aquæ Salmacinę potui impedimento eſt, atque ab eà omninò debet abſtinere.

Aquæ Salmacinæ potum prohibentia.

Aqua retenta quomodo educenda.

9 Quacunque tamen de cauſà aqua fuerit retenta, ſiuè iterum periculum faciendum ſit, quia retentionis cauſę videantur corrigibiles; ſiuè ab eius potu omninò deſiſtendum, quia retentionis cauſę remoueri non poſſint, illa inquam copia retenta, & Naturæ grauis, cum ſpontè non exeat, arte educi debet, propinatis hydragogis, cuiuſmodi ſunt manna, vel ſyrupus roſ. ſol. ad vncias quatuor, vel quinque ex decoctione rad. Ireos, aut medianæ ſambuci corticis diſſolut. puluis rad. Salapiæ, michoacannæ, ebulorum ad drach. 1 5. circiter. fortiora ſunt Mezereon, Gummi gotte, elaterium, hu-

ius-

ius quidem granis tribus, vel quatuor, ex ſemidracma Pil. Alephangin. aut ex cocleari Sacch. roſ. illorum verò etiã ſcrup. 5. ex eodem Sacch. roſ. vel ſimili exhibitis, delicatiores vti poſſunt conſeruà ex roſis Damaſcenis, ſiuè ex floribus Perſicorum ad vnc. 5. atque his cœteriſque id genus, Medicis omnibus notiſſimis præſidijs, retentæ aquæ excretionem moliri poſſumus. Immò non ſolum per aluum, ſed, & per vomitum, & per vrinam, idem tentare nobis licet; per vomitum quidem, ſi adhùc in ventriculo aqua fluctuet, per vrinas verò, ſi venas iam fuerit ingreſſa, iccirco modò vomitoria, modò diuretica prçſidia vſurpamus, licet omnibus anteponenda ſint per aluum educentia, cum in eam partem, & à ventriculo, & à venis, atque corpore vniuerſo tamquam in cloacam maximam, excrementa decumbant.

10 Illud tamen hac in re animaduerti maximè velim, non ſtatim atque primà die epota aqua eadem menſura non excernitur, illicò, vt imperiti faciunt, hydragoga eſſe imperanda, & vlteriorem aquæ potum prohibendum; ſçpiſſimè enim, præſertim ſi æſtate, vt ſolet, aqua bibatur; arefactæ corporis partes internæ primos aquæ cyathos abſorbent, ac retenta aqua non modò nihil lædit, ſed morboſam viſcerum, Aquæ retentio non ſemper morboſa.

alia-

aliarumque partium ſiccitatem corrigit;ità, vt optanda potius retentio ſit, quam excretio; ſequentibus poſteà diebus ſaturæ iam partes humiditate, fertilius aquam remittunt; & ſanè nemo eſt, qui non experiatur, melius vltimis diebus, quam primis aquam refundi, tum propter rationem iam allatam, tum etiam, quia in dies viæ magis dilatantur, & ipſamet aqua faciliorem ſibi parat exitum.

11 Dum igitur primà, vel ſecundà die multum aquę retineri videtur, priuſquam vlteriori aquæ potu alicui interdicatur, & aquæ attrahentia propinentur, intueri oportet, num is, qui potauit de moleſto quodam ventris, vel totius corporis pondere, aut alio quouis ſymptomate, quod in retentam aquam referri poſſit, conqueratur, nec nè; ſi enim nihil tale contingat, & is qui ſumpſit benè ſe habeat, leuiorque etiam ſibi factus videatur; nec hydragogis opus habet, nec ab vlteriori aquæ potu debet abſtinere; cum interim certò polliceri poſſit Medicus, fore vt in poſterum aqua felicius, fertiliuſque reddatur.

12 Refert Marianus Ghezzius in ſuo tract. de Baln. S. Caſſ. lib. 1. cap. 8. ſe vidiſſe in illis Thermis, Religioſum quendã ex ordine Theatinorum ſex continuos dies ad heminas decem

aquam

aquam potaſſe, nec quicquam reddidiſſe ità, vt ſexaginta aquæ heminas eſſet expletus; quia tamen nihil indè malè percipiebat, nec ab vlteriori aquę potu abſtinuiſſe, nec hydragogis fuiſſe vſum, ſed ſequuti poſteà diebus aquam feliciſſimè, ac fertiliſſimè reſtituiſſe, ac non ſinè emolumento potaſſe, ſimilem euentum & nos obſeruauimus æſtate proximè elapsà in quodam Franciſco Sartore, qui cum plures iam dies, ob ferinam ſcabiem, quà cruciabatur, aquam Salmacinam potaret, & non redderet, iuſſus tamen perſeuerare, quià nullam percipiebat in hypocondrijs grauitatem; tandem aquam omnem feliciſſimè reſtituit, ac à turpi, moleſtaque cutis infectione euaſit.

13 Diligentiores velim Medicos in huiuſmodi medicamentorum aquas extrahentium exhibitione, abſoluto aquæ Salmacinæ potu, quam non ità multo antè inchoato; initio enim licet non tota videatur aqua excerni, ſæpè tamen, vt diximus, non eſt morboſa retentio; in finè verò poſtquā plures dies abundè potatum eſt; licet quotidiè etiam viſa fuerit aqua largè, effuseque reſtitui; tamen fieri vix poteſt, quin multum humiditatis in corpore relinquatur, venæ plurimà ſeroſitate ſcateant, & ſanguis ipſe admodum ichoroſus remaneat; qui niſi à Poſt aquæ potum aliquo hydragogo vtendum.

ſuper-

ſuperuacaneo ſero, vel operà Naturæ, partim per vrinam, partim per ſudorem, partim etiam per inſenſibilem tranſpirationem, vt ſæpè fieri ſolet, vel auxilio Artis, hydragogis, aut diureticis, aut ſiccà victus ratione, vt fieri deberet, vindicetur; varijs morborum generibus obnoxium corpus conſtituit.

Morbi, qui interdum ſequi ſolét aquæ Salmacinę potum.

14 Superuacanea enim illa ſeroſitas progreſſu temporis computreſcens, aut certè concaleſcens, in venis quidem retenta febres accendit; ad cutim tranſmiſſa pruritum, vel ſcabiem parit; ad articulos decumbens, arthritidem excitat; ad extrinſecam aliquam corporis partem allabens, eryſipelata, herpetes, furunculos, ſimileſques morbos inducit, vt omittam grauiores morbos internos, quos apta eſt producere, ſi ad aliquam internam partem impetum faciat, idque non Salmàcinę proprium, ſed cum alijs mineralibus aquis potui aptis commune eſt, teſtes ſint illi, qui non multis poſt diebus ab aquarum potu, in aliquem ex enumeratis morbis inciderunt; quorum, & ego multos hìc nominare poſſem.

15 Propterea cóſultiſſimum, & factu optimum ſemper duxi, abſoluto aquæ Salmacinæ potu, hydragogi aliquid exhibere, vt corpus à colluuie ſeroſa, ſi qua intus lateat, liberetur, &

mor-

morbi indè imminentes præcaueantur, & ſanè euentus plerumque oſtendit, non inanem fuiſſe metum, nec ſuperuacaneam, ac futilem diligentiam, cum ſæpè maior indè ſequatur aquæ excretio, quam ſuperioribus diebus fieret, dum aqua potabatur. huiuſmodi autem hydragogum ex leuioribus ſeligatur, ac ſi opus fuerit potius repetatur, quam fortiora ſemel propinentur, nè acceptam ab aquæ potu vtilitatem perdamus, & corpus, quod hactenus generoſo aquæ Salmacinæ præſidio refrigerare, atque humectare intendimus, denuò exiccetur, & præter naturam recaleſcat. quod ſi id fortè contigerit, vel quia validius propinatum fuerit hydragogum; vel quia à debiliori etiam præter intentionem ſequuta fuerit nimis copioſa humiditatum excretio, adeò vt, & ſitis, & moleſta oris ariditas relinquatur; non erit ab re iterum ſemel, aut etiam bis aquam Salmacinam rebibere. Atque hæc de corrigendà aquæ Salmacinæ retentione, vël diminutà excretione; reliqua ſymptomata ſequenti capite perſequemur,

Poſt aquæ potum nō niſi leui hydragogo vtendum.

* *
*

De alijs corrigendis ſymptomatibus, quæ aqua Salmacina ſolet inferre. *Cap. XII.*

1 POLLICITVS ſum capite proximè ſuperiori de tribus tantum ſymptomatibus me acturum, ex multis, quæ aqua Salmacina minus rectè vſurpata, excitare ſolet, eius nimirum retentione; hypocondriorũ doloribus, & capitis grauitate. vidimus hactenus, quibus de cauſis aqua interdum retineatur; quę retentionis cauſæ remoueri poſſint, quæ non; quibus medicamentis aquà retenta educatur. reliquum eſt, vt alia duo ſymptomata conſideremus.

Aqua Salmacina cur interdum dolores excitet.

2 Ventriculi, & hypocondriorum dolores, licet aquæ morboſam retentionem plerumque ſequantur, ijſdemque præſidijs, quibus aquæ promouetur excretio, miteſcant; tamen interdum ijs etiam accidere ſolent, qui aquam alioqui ſatis commodè reſtituunt, de quibus potiſſimum hìc agimus. horum dolorum cauſa proxima, & immediata ſunt flatus, qui ab aquæ copià eleuati, partes ventris inferioris, per quas volutantur, ſi anguſtiores ſint, impetunt, ac diſten-

diſtendunt. *flatus*, inquit Hipp. lib. de Flat. num. 14. *quemadmodum ſpiculum infixum penetrans per carnem perrumpit, aliquando præcordia petens, aliquando ilia; immò quandoque vtraque ſimul affligens*. huius igitur ſymptomatis auerſio, vel correctio tota poſita erit in flatuum generatione inhibenda, aut certè genitorum diſcuſſione, ac facili tranſpiratione, vt ex Hipp. ibidem patet, dum ſubdit, *quarè ſolent quidam calida fomenta extrà adhibentes, dolorem mitigare, rarefacto enim corpore à calore fomentorum, ſpiritus indè exhalat, vt quies indè aliqua, & mitigatio contingat dolorum.*

3 Porrò ſi vera ſunt, quæ communiter à Medicis de flatuum generatione dicuntur, eos nimirum à calore natiuo imbecilliori, concoquendæ materiæ minus benè dominanti excitari, vt docet Gal. 3. de ſympt. cauſ. cap. 2. immò & à valido etiam calore fieri, ſi obiectum difficillimæ concoctionis nanciſcatur, vt ſunt cibi, & potus copioſiores, vel crudiores, quam conficere poſſit; vel craſſi etiam, viſcidique humores, validо etiam calori rebelles; non ſumitur enim calor imbecillis ſecundum ſe conſideratus, ſed comparatus ad cibos, vel humores circa quos verſari debet, quæ eſt doctrina Gal. 12. Meth. med. cap. vltimo; ſi hæc inquam vera (Causa flatuum.)

ſunt, magis mirum eſt ventris,& hypocondriorum dolores ab aqua Salmacina non ſemper, quam aliquandò excitari. cui enim calor natiuus, tam validus, ac vegetus inerit, qui, tot ingeſtis, quot ventriculus ipſe capere poteſt, aquæ Salmacinæ poculis, comparatus, non inferior, & imbecillior reputetur? ſi vnicus, vel alter vini cyathus præter morem hauſtus, ſi cibi ſelibra conſuetæ addita quantitati, ventriculo eſt oneri, & gignendis flatibus præſtat anſam; quid efficiet aqua Salmacina, vltrà ſatietatem epota? ſi terra quantò magis imbribus irrigatur,tantò plures halitus emittit; quot halituoſos ſpiritus, flatuſque gignet *ventriculus*, qui ex Hipp. lib. de humor. num. 4. *quemadmodum arboribus terra, ità eſt Animalibus*, aquà Salmacinà non irrigatus, ſed expletus?

4. Tamen(quæ huius aquæ laus,& comendatio eximia eſt) rariſſimi occurrunt, qui ab eius potu in nimiam flatuoſitatem, & ventris dolores incidant. hæc enim aqua (parcat mihi Hipp. ſi quot ipſe vitia aquæ ſimplici tribuit lib. de rat. vict. in acut. num. 30 totidem oppoſitis laudibus, aquam Salmacinam decoro) hæc inquam aqua inundationem non inducit; ſitim ſedat, non exacerbat:Naturæ bilioſæ minimè bilioſa eſt; neque præcordio mala; vires

Aquæ Salmacinæ laudes.

mini-

minimè proſternit, etiam ſi in vacuitatem ingreſſa fuerit; nec ſplenem, nec hepar adauget; non fluctuat; non ſuperinnatat; non tardi tranſitus eſt; non cruda; non incoctilis, per aluum facilè ſecedit; per vrinam facillimè tranſit.

5 Quod ſi nonnullis flatuoſa videatur, & hypocondriorum pariat dolores, malum ipſius vſum accuſare oportet; nimis enim copiosè forſan fuerit propinata, vel aere ambiente frigidiore, vel homini naturà ſuà flatuoſo; cuiuſmodi ſunt, qui partium naturalium obſtructionibus, & melancoliæ hypocondriacæ ſunt obnoxij. propterea non ſtatim, atque dolores aliquos excitarit, illicò ab illius potu tamquam noxio, ac nimis flatuoſo deſiſtendum, ſi alioqui eo videatur indigere corpus; ſed potius illius ſymptomatis correctio quærenda eſt; & primo quidem ſi quid in recto eius vſu erratum fuerit; maior in poſterum adhibeatur diligentia, deindè ſi qua aquæ flatuoſitas timetur, ea emendari poteſt permiſtione calefacientium, ac diſcutientium, quæ & flatuum generationem inhibeant, & ſi qui gignantur, reſoluant; huiuſmodi ſunt ſem. Aniſornm, fœniculi, cinamonum, quæ ſaccharo præſertim cooperta, vt ſuprà diximus, inter bibendum in hunc finem; & vt

Aqua Salmacina, cur interdum flatuoſa.

Aquæ Salmacinæ flatuoſitas corrigẽtia.

& vt aqua etiam facilius permeet,mandi ſolent. ſi iſta non ſufficiant,ipſiuſmet aquæ cinamomi ſtillatitiæ portiuncula quibuſdam aquæ Salmacinæ cyathis poterit immiſceri; vel inter aquæ cyathos, aliquot vini generoſi hauſtus interponi; alijs, quibus Salmacina frigida, vt ſolet, epota dolores infert, actu calida imperetur.

Sedantia dolores. 6 Si poſt aquæ potum dolores vexent, calida fomenta ex Hipp. præcepto lib. de Flat. num.14. ſup.cit. ventri admouere oportet, vel ex ſolis craſſioribus, ac ſordidis linteis, quæ ſæpè ſufficiunt; vel etiam ex calidis pelliculis,aut ex ſacculis ſale, ſeù millio, ſeù furfure plenis; aut ex calefactis teſtis linteo inuolutis, & ſimilibus; quæ omnia, & dolorem lenient, & aquę tranſitum adiuuabunt.

7 Vtrum vrgentibus doloribus concitatior, vel remiſſior corporis motus ſit imperandus;experientia conſulenda. quidam enim(tanta eſt corporum, & ſingularium circumſtantiarum varietas) ex violentiori motu, ac diſcurſu,quidam ex interpoſita quiete dolorum leuamen percipient. illi quidem flatibus per motus calorem reſolutis; hi verò eorumdem impetu per corporis quietem repreſſo. mihi tamen probabilius videtur, lentiori motu, & crebrà quiete interrupto, ijs, qui ex aquæ potu ventris,

tris, & hypocondriorum dolores incurrunt, eſſe conſulendum.

8 Colligo id ex Hipp. lib. de Salub. diæt. num. 13. vbi victus rationem præſcribens ijs, qui ex nimia venarum repletione in dolores partium internarum incidunt; & animaduertens, eos ob exercitia, alioſque corporis labores, humores nimirum fundentes, potiſſimum dolere, conſulit, vt quieſcant, à cibis abſtineant, & potione aliqua diuretica vtantur, quò venæ per vrinam euacuentur. *Quibuſcunque inquit dolores fiunt ex viſceribus, ſiuè ex exercitijs, ſiuè ex aliquo alio labore, his quieſcere conducit, à cibis abſtinentes, potione autem vtantur, quæ quam parciſſimè in corpus aſſumpta, plurimam vrinam ducat, quò venæ viſceribus inſitæ non diſtendantur repletæ.*

9 His verbis videtur Hipp. mederi ijs, qui ex nimio aquæ Salmacinæ potu in dolores ventris, & hypocondriorum incidunt; cum enim hi ex nimia plenitudine laborent, doleantque ob partium diſtentionem; quid illis ſalubrius imperari poteſt, quam vt quieſcant, nè humores magis fundantur, & nè flatus maiori ferantur impetu, vt à cibis abſtineant, nè augeatur repletio; ac tandem vt diureticis vtantur, quò exoptata aquæ excretio citius, ac facilius fiat, &

inter.

internæ partes à repletione,ac diſtentione vindicentur? Quod ſi his adhibitis præſidijs dolores non miteſcant; ſed remedijs omnibus ſemel, & iterum, atque etiam tertio reluctentur, & atrociter vexent, vlterius periculum faciendum non eſt,& ab aquæ potu omninò deſiſtendum.

10 Quod ad capitis grauitatem attinet, quod erat tertium ſymptoma ſuprà propoſitũ. nemo miretur, quod vitium vino tribuitur, aquæ etiam conuenire. ſcio Hipp. lib. de rat. vict. in acut. num.30. in morbis, in quibus capitis grauitatem ſuſpicatur, nè dum ſi præſens fuerit, vinum penitus prohibere, & aquam concedere, verum loquitur ibi Hipp. de aquà pro potu inter comedendum vſurpatà, quæ ſanè capiti nihil nocet, cum non vini inſtar caput tentet, non autem de aquà, vt minerales ſolent, vltrà ſatietatem epotà, quæ propter copiam fieri non poteſt, quin plurimos ad cerebrum mittat vapores,& non modo capitis grauitatem inducat, ſed & vertigines interdum, & dolores, & ebrietati ſimiles affectiones; idque non Salmacinę proprium eſt vitium, ſed aliarum omnium aquarum mineralium, quæ bibuntur. licet noſtra Salmacina ob admiſtos ſpiritus ſulphureos euaporationi aptiſſimos, & ob odo-

Aqua Salmacina cur capiti interdum noceat.

odorem, qui in alijs multis aquis mineralibus deſideratur, hac in re cæteris videatur anteire, &iccircò ferè ſemper, quamuis rectiſſimus accedat vſus, capiti non nihil eſt infenſa.

11 Quod tamen aliquandò ei valdè noceat & ſymptomata inducat, Medicâ ope digna, id ſanè proficiſcitur; (niſi aliquid commiſſum, vel omiſſum fuerit in ſex rebus non naturalibus,) vel vitio ventriculi, ſi eam minus arctè complectatur, ac propterea ad caput maximè euaporare ſinat; vel vitio etiam ipſius capitis, ſi non ſolum ex naturali figurâ, & ſitu, vt ait Hipp. lib. de Gland. num. 5. ſit ad attrahendum aptiſſimum, verum etiam, ſi ex morboſâ imbecillitate euadat ad recipiendum, ac retinendum paratiſſimum. Caput inquit ibi Hipp. *Suprà ſitum eſt, cauum, ac rotundum exiſtens, & humiditatem ex reliquo corpore complectens, & corpus ſimul vapores omnis generis ſurſum in caput dimittit, quos caput rurſus retrò dimittit; non enim immorari, ac manere poteſt id, quod influit, non habens vbi ſedem firmet; niſi ſanè caput ægrotet, tunc enim non remittit, ſed iſthic retinet.*

12 Huic igitur ſymptomati occurrendum eſt, antè quam ſanè fiat, ſi timeatur, ventriculum, caputque roborantibus; & ventriculo quidem proderunt linimenta ex oleo Maſticino, Nè aqua Salmacina capiti noceat.

O Nar-

Nardino, Nucis myriſticæ, Opobalſamo, fomenta ex Abſinthio, Mentha, & ſimilibus vino generoſo irroratis. cerata ex Tachamaca, Maſtice, Laudano, ſpeciebus Aromat.roſ.&c. intrinſecè præmuniri poteſt; primò quidem vomitorijs, ſi pituitoſis ſcateat cruditatibus; deindè calefacientibus, & exiccantibus aromatibus. frigida, nec intus, nec extrà hìc locum habent, ſi enim ſolo calore laboret ventriculus, atque ideò imbecillior ſit, non eget ad aquæ Salmacinæ potum refrigerantibus præparari; cum ipſamet aqua ſatis, ſuperque refrigerare poſſit.

13. Dum ventriculo proſpicimus, ſecundario etiam capiti conſulimus, cuius imbecillitas à ventriculo primariò affecto ſæpè per conſenſum proficiſcitur. Quod ſi ipſum propriè laboret, eique conſentiat ventriculus; quibus remedijs illi robur conciliare poſſimus; & ità ad aquæ potum præparare, vt aſcendentium vaporum non multum admittat, equidem inuenire vix ſcio. Extrinſeca enim calida linimenta illud ad attrahendum magis diſponent. frigidis aquâ Salmacina non indiget: poſt aquæ potum repellentia oxyrhodina ſuſpecta ſemper habui; cum enim hæc frigida ſint, cerebro naturâ ſuâ frigido, & ab aſcendentibus aquæ Salmacinæ

vaporibus, ſeſe ibi ad proprium frigus, quantum poſſunt, reducentibus obſeſſo, non mediocrem noxam minantur.

14 *Profectò, qui capita debilia habent*, vt cum Hipp. loquar lib. de Aer. Aq. & loc. num. 3. *Non ſunt boni potores*; ac propterea tutius ab aquà Salmacinà arceantur; præſertim ſi Apoplexiæ, epilepſiæ, vertigini, Paralyſi, ſtupori, cæteriſque id genus morbis, qui caput imbecille ſequi ſolent, ſint obnoxij. ſi tamen experiri velint, arctà faſcià ſibi caput ſtringant, vt minus lædatur; oſtendit enim experientia, vinctum caput minus vinci, & iniurijs magis reſiſtere; præterquamquod faſcià clauſis venis, quæ ſunt in fronte, & temporibus, cæteriſque partibus externis, aquæ vaporibus pauciores patent aſcēdendi in cerebrum viæ; licet enim per internos ductus eleuari poſſint; plurimum tamen ferri etiam per externos, probari poteſt, pulcherrimà Hipp. doctrinà lib. de loc. in hom num. 2. *Vbi humiditatem à ventre in caput aſcendentem, fluere in cerebrum per os tenue docemur, hoc eſt per os ſyncipitis*, quod tenuiſſimum appellatur ab eodem Hipp. lib. de capit. vulner. num. 4.

Capite imbecilles abſtineant ab aquà Salmacinà.

Nota pulcherrimã Hipp. doctrinam.

Explicatur Hipp tex. lib. de Aer. Aq. & loc. & num aqua ſimplex aquæ Salmacinæ loco, & modo exhiberi poſſit. Cap. XIII.

1 CVM inter alias Salmacinæ laudes meminerimus ſuprà, eam minimè flatuoſam eſſe, facillimè permeare, ac per vrinam tranſire; idque repugnare videatur Hipp. doctrinæ, qui lib. de Aer. Aq & loc. num. 13. *Aquas omnes minerales duras eſſe, ac difficulter mingi*, nos docet; tanti viri authoritas minimè poſtulat, vt hæc difficultàs ſicco pede pertranſeatur. Duras inquit Hipp. neceſſe eſt, eſſe aquas, vbi ferrum naſcitur, aut æs, aut argentum, aut aurum, aut ſulphur, aut alumen, aut bitumen, aut nitrum; hæc enim omnia præ violentiâ caloris naſcuntur, non itaque ex huiuſmodi terrà aquæ bonæ prodeunt, ſed duræ, & æſtuoſæ, quæ & difficulter minguntur, & ad alui egeſtionem contrariæ ſunt.

2 Porrò ſi res ità ſe habent, non video, cur, minerales aquas refrigerantes, ac humectantes quæramus, eaſque propinemus, relictà optimâ aquâ ſimplici, cui vitia illa non inſunt. cur ad

refrigerandum, & humectandum Salmacinam duram, & æſtuoſam, quæ difficilè mingitur, ac difficillimè ſecedit, ſecuri vltrà ſatietatem bibimus, optimam verò aquam ſimplicem, quæ & per ſeceſſum, & per vrinam longè facilius tranſit, formidamus?

3 Equidem diù fui in eà ſententià; ſi cuidam loco Salmacinæ, aut Nucerinæ, aut Ficuncellenſis, aut etiam Acetoſæ Romanæ, aqua aliqua ſimplex, optimæ tamen notæ exhiberetur; eoſdem prorſus effectus indè ſequuturos; omnia enim tribuebam aquæ copiæ, non peculiaribus qualitatibus, quæ in multis aquis mineralibus nullæ relucent; & cum animaduerterem æquè parum per ſeceſſum, plurimum per vrinam reſtitui, tam noſtram aquam Salmacinam, quæ odore præcipuè ab aqua ſimplici diſtinguitur; tam Acetoſam Romanam, quæ acore quodam eſt prædita; quam Nucerinam, quę nec odore, nec ſapore ab aquà communi diſcernitur, facilè mihi perſuadebam, eoſdē prorſus euentus me viſurum ab aqua ſimplici, ſi eàdem copià eam propinarem; immò feliciores, ſi vera ſcribit de Aquarum mineralium vitijs Hipp. loc. cit. ſæpius experiri volui, hactenus tamen non licuit.

4 Nunc verò, ingenuè fateor, mutaui ſen-

ten-

tentiam. Aquam Salmacinam exploranti mihi (quicquid ſit de alijs aquis mineralibus, de quibus hic non diſputo) illius rei ſubijt in mentem, fieri non poſſe, quin admiſti ſpiritus ſulphurei ei ſint pro vehiculo, & illius permeationem non mediocriter adiuuent; non modò quia ſpiritus ipſi naturà tenuiſſimi ſunt, & penetrationi aptiſſimi, ſed etiam, quia aquam veluti excoquunt, & ex cruda coctilem faciunt, eique prætereà tribuunt quendam læuorem, ac veluti oleaginoſitatem, aut viſciditatem quandam tenuiſſimam, vt eà manus, vultumque abluentes percipiunt, quæ eiuſdem permeationi mirificè conducit. teſtatur hoc ipſemet Hipp. lib. de vict. rat. in morb. acut. num. 5. vbi ob ſimilem viſcoſitatem læuem, cõtinuam, & lubricam, quà partes veluti conglutinatæ ſeſe conſequuntur, ſummoperè laudat ptiſſanam in morbis acutis, eamque propterea docet, nec adſtringere, nec malam turbationem facere, nec in ventre immorari.

Spiritus ſulphurei maximè adiuuant aquæ Salmacinæ permeationem.

Ptiſana cur laudata ab Hipp. in morbis acutis.

5 Exiſtimo igitur aquam Salmacinam, aquæ ſimplici, quamuis optimæ, longè præſtare in hac re, vt per ſeceſſum, & per vrinam facilè tranſeat; hypocondria non inflet, viſcera non tumefaciat. non equidem nego, poſſe fortaſsè etiam bonam aquam ſimplicem, largè, effusèque

que mineralium more epotam, alicui innoxiam eſſe, & promptè reſtitui; præſertim cum doceat Gal. 6. de loc. affec. cap. 3. ex quacunque copioſa potione quatuor ſequi, vomitum nimirum, ſeceſſum, moram in ventriculo, copioſas vrinas. verum ſi in eodem homine id quiſpiam experiatur; eàdem menſurà, eodem anni tempore, eàdem ſeruatà victus ratione cæteriſque eodem modo ſe habentibus, vtramque aquam exhibeat, vix adduci poſſum, vt credam, quin magnum ſit diſcrimen obſeruatum.

6 Sed quid dicemus ad tex. Hipp. qui aquas omnes minerales, tamquam crudas, & difficilè permeantes damnat? an Hipp. ibi loqui de aquarum inter comedendum potu, quo modo vult vſurpandam eſſe aquam ſimplicem, non autem aquas medicatas? textui ſanè valdè conformis, & vera eſt hæc reſponſio, non tamen difficultatem ſoluit; nam ſi ideò in cœna, & in prandio potanda eſt aqua ſimplex, non autem mineralis, quia illa facilè, hæc verò difficilè per aluum, & per vrinam tranſit; eàdem ratione ſi largiſſimè ieiuno ventriculo, non potus, ſed medicamenti loco, vtraque bibatur; illa, quæ pro potu vſurpata minus grauat, & facilius reijcitur, medicamenti etiam loco vltrà ſatie-

tatem

tatem epota, minus inflabit, longè citius, faciliuſque reddetur, ac tutior erit; quam illa, quæ etiam modicè inter cibos hauſta, cruda perſentitur, hypocondrio mala, & excretioni rebellis.

7 Difficillimus ſanè mihi videtur hic Hipp. text. & Aquarum mineralium vſum planè ſubuertere. neque reſpondere poſſumus, ideò nos eligere aquas minerales, relictà ſimplici, quamuis crudiores ſint, ac difficilius reddantur, quia peculiaribus quibuſdam viribus donentur, quę in aquà ſimplici deſiderantur; licet enim id de mineralibus nonnullis à ſimplici aquà maximè diuerſis, verificetur; vt ſunt Tetutianæ, & ſimiles, quæ potius ad calefaciendum, & exicandum, quam ad refrigerandum, & humectandum, quę aquæ ſimplicis propriæ actiones ſunt, exhibentur. de omnibus tamen mineralibus dici non poteſt, ac minimè de aquis mineralibus refrigerantibus, & humectantibus, inter quas reponitur noſtra Salmacina; quæ illud idē poſſunt, quod aqua ſimplex, & ſi quid vlterius ob admiſtam mineram, vt de aquà Salmacinà diximus cap.7. num.4. id tanto periculo emendum non eſt, vt quis illà aquà ſeſe expleat, quæ naturà ſuà difficillimi tranſitus iudicatur, & quidem ſi talem reputarem noſtram Salmacinam, licet multò pluribus, ac diuinioribus pænè viribus

ribus alioqui polleret, eam tamen propinare non auderem.

8 Crediderim igitur tex. illum Hipp. non eſſe vniuerſaliter intelligendum de omnibus omninò aquis mineralibus, ſed de illis dumtaxat, quæ minerales ſunt ob admiſtam alicuius mineralis corpulentiam, non autem de illis, quas minerales reddunt admiſti alicuius mineralis ſpiritus. notauimus ſuprà cap. 2. num. 10. quaſdam aquas minerales continere ſubſtantiam alicuius mineralis iam geniti, alias verò continere ſoluta illa principia, ac ſpiritus quoſdam, qui in aliquod minerale, ſeù medium minerale proximè conuertendi erant. illæ meritò dicuntur crudæ, & difficilè permeantes; quis enim concoctu facilem dicat ferri ſubſtantiam, aut æris, aut argenti, aut nitri, aut calchanthi, aut ſulphuris, & ſimilium? hæ verò, cum non niſi tenuiſſimos ſpiritus contineant, nulla eſt ratio, cur ob illud vehiculum facilius, ac citius, quam aqua ſimplex non reſtituantur. niſi tamen, & ſpiritus ipſi admiſti adſtringentes ſint, & aquam mineralem adſtringentē conſtituant; huiuſmodi enim aqua ob copiam tantummodò, quà potatur, non propter ſui qualitatem, vt diximus cap. 2. ſeceſſum mouet, & per vrinam refunditur. Hipp. tex. expoſitio.

9 Nec dicas, Hipp. eò loci vniuerſaliter loqui de omnibus Aquis mineralibus; nam potius indefinita, quam vniuerſalis eſt illa propoſitio, vt patet intuenti text. lib. etiam de rat. vict. in acut. num. 30. aquam indefinitè damnat Hipp. in morbis acutis, tamquam flatuoſam, hypocondrio malam, ad ſeceſſum inutilem, per vrinas difficilè permeantem; & tamen lib. de Aere Aq. & loc. num. 16. his omnibus vitijs carere optimam aquam potabilem, docet. proprium eſt hoc propoſitionum Hippocraticarum; vt rarò vniuerſaliſſimè intelligantur, pręterquamquod receptiſſimum eſt apud logicos, propoſitionem indefinitam in materià contingenti æquiualere particulari. Aqua igitur Salmacina præter alias vires, eam etiam recipit à ſpiritibus ſulphureis, vt facilè ſecedat, & per vrinas citiſſimè tranſeat.

10 Inueſtigatà aquæ Salmacinæ minerà eiuſque viribus indè collectis, recto ipſius vſu expoſito, ac ſymptomatibus, ſi qua ſuperueniant, occurrendi modo explicato, ad totius operis finem perueniſſe, mihi videor, atque hìc receptui canerem, niſi quæ hactenus dicta ſunt, genericè nimis dicta mihi viderentur, & quædam ſupereſſent non omittenda, ad eiuſdem Salmacinæ rectum vſum in morbis quibuſdam

par-

particularibus, plurimum conducentia. Medicus non curat hominem in comuni, ſed Socratem, & Calliam, ideò vniuerſaliſſimis præceptis acquieſcere non debet, ſed quantum poteſt, ad particularia deſcendere; nonnullis morborum generibus hæc aqua modò prodeſſe, modò obeſſe ſolet. Alij ad certos quoſdam morbos eà indiſcriminatim vtuntur; nullà inſpectà ſexus, ætatis, cauſarum, differentia; Alij religiosè nimis eam vſurpant. has, & ſimiles difficultates, vt minus imperfecta ſit hæc noſtra de aquà Salmacinà diſputatiò ſeqq. capit. diſſoluemus.

Vtrum aqua Salmacina conferre poſsit ijs, qui calidà iecoris intemperie laborant. Cap. XIV.

1 VT iecoris parenchyma, non ſecus, ac alias corporis partes calidà intemperie præter naturali affici poſſe, inficiari nemo poteſt; ità tam paſſim, ac frequenter eà laborare, vt vulgus Medicorum credit, ſemper ridiculum exiſtimaui. noui plures Medicos, apud quos rariſſimum eſt, aliquem inueniri ægrotum, vel valetudinarium ho-

Iecoris calida intemperies, non eſt morbus ità frequens vt vulgus Medicorum credit.

hominem, qui hepar iuſtò calidius non habeat, ſemper hepatis caliditatem accuſant; vix morboſi aliquid in corpore inſpiciunt, quod hepatis intenſiori, ac præternaturali calori non referant acceptum.

2 Si quis pruritu torqueatur; ſi ſcabie fœdetur; ſi manus, pedeſque calidiores habeat; immodicum iecoris calorem cauſantur. ſi vlcera fiăt in cruribus, ſi fiſtulę in perineo, ſi aphthæ in ore, hepar accuſant. ſi labia turpiter intumeſcant, ac findantur; ſi lippitudines oculos affligant, ſi ozænæ tribuant halitui fœtorem, in hepar iuſto calidius cauſam referunt. ſitim immodicam, linguæ ariditatem, vrinæ ardorem, deiectiones bilioſas, dyſenterias à calidiori iecoris intemperie proficiſci, affirmant. immò, & capitis dolores rebelles, vertigines pertinaces, vigilias perennes, aurium tinnitus, deſtillationes ſalſas, hepati impensè calido attribuunt; vndè ferè tota eorum Medicina in hepate refrigerando conſiſtit. porrò ſi res ità ſe haberet, non ſex menſium, vt profitebatur Theſſalus, ſed ſex dierum ſpatium ſatis eſſet addiſcendæ Medicinæ.

Scabies, & pruritus nō ſemper à caliditate hepatis.

3 Attendant quæſo diligenter, & reſipiſcant. pruritus, & ſcabies (rem ab initio reſumo) frequenter exercent ſenes, videnturque ſene-

ſenectutis propria vitia, ideò inter morbos ſenibus familiares numerantur ab Hipp. 3. Aph. vlt. at quæ hepatis excedens caliditas poteſt eſſe in ætate ſenili frigida, & exangui; ſcabioſos ſæpè ſulphure curare nõ ſolum illitu, ſed etiam per os propinato, conſueuerunt plurimi practicantes; qui ſanè voti compotes non fierent, ſi ſcabies omnis ab igneo hepatis calore proficiſceretur, cum ſulphur naturà ſuà valdè calidum, igneam hepatis caliditatem potius augere, quam remittere poſſit. Manuum, pedumque calorem in ſplenem aliquãdò refert Hipp. potius, quam in hepar, dum 6. Epid. ſect. 5. quibus ſplen, inquit, deorſum vergit, pedes, & genua calida ſunt, naſus, & aures ſemper frigida. vlcera ſæpe fiunt in cruribus hydropicorum, quorum tamen iecur, frigidà intemperie laborare, ſentiunt ferè omnes Medici. Perinei, & adiacentium partium fiſtularum varias cauſas recenſet Hipp. lib. de fiſtulis num. 1. verum de immodica hepatis caliditate ne verbũ quidem. oris aphthę ſi ſolum igneum hepatis calorem ſequerentur, non eſſent familiariſſimæ infantibus, ac nuper natis puerulis, quorum hepar natiuo quidem, ac blando, non autem præter naturali, & acri calore abundat. quod ſi lactis acrimoniam acceperimus, cur eam

Extremorum calor à ſplene.

niſi

niſi quidem poſſumus in prauum nutricis victum, in eiuſdem calidius iecur potius, quam in intemperatas mammas referamus? labiorum; immò; & manuum; & pedum rimæ, vt teſtatur experientia, ſæpè fiunt in conſtitutionibus aquilonaribus à nimia ambientis frigiditate ſinè vllo hepatis vitio, atque elapſa cauſa externa, clementiorique factâ aeris conſtitutione, adhuc aliquandiu perſeuerare poſſunt, relictâ nimirum in parte affectâ intemperie, vitioque habituali iam reddito. nec dicas frigus externum eſſe cauſam procatarcticam, & ſupponere hepar calidius, tamquam cauſam antecedentem; nam ſi res ità ſe haberet, minus hoc morbi genere laborarent per ingentia frigora corpora tenella, ac delicata, quam durá, ac robuſta, in quibus hepatis caliditas acrior; ac validior viget.

Lippitudines non ſemper à caliditate hepatis.

115. Lippitudines curat Hipp. lib. de loc. in hom. num. 11. de refrigerantibus hepar, nullâ mentione factâ. immò in coac. num. 2. viro lippienti, inquit Hipp. febre ſuperueniente ſolutio fit; febres autem curare morbos ab hepatis caliditate productos, ſomniare nemo poteſt. de ozęnis agens Celſ. lib. 6. cap. 8. earumque curationem docens, adeò non vtitur hepar refrigerantibus; vt potius modicum cibum, mul-

tam-

camque ambulationem laborantibus imperet, cuiuſmodi præceptum valdè noxium eſſet, ſi morbus ab hepate calidiori traheret principium.

6 Sitis moleſta plurimas alias cauſas poteſt habere præter hepatis calorem. hydropici vnà cum hepate refrigerato inexplebili ſiti torquentur. immò ſi cum hepate calidiori ſemper coniungitur ventriculus frigidior, vt paſſim eſt in ore Medicorum (an re vera, ipſi viderint) hepatis caliditas potius inducet carentiam ſitis ob ventriculi refrigerationem, quam ſitim. linguæ ariditatem refert Hipp. 6. Epid. ſect. 5. in fuliginoſum ardorem, vbicunque ſit eius minera, ſiuè in hepate, ſiuè in alijs corporis partibus; & præcipuè in vterum affectum; dum inquit linguæ ſiccæ à fuliginoſo ardore, & ab vterina parte. Sitis non ſemper arguit hepatis caloré.

7 Ardor vrinæ, & veſicæ calculos, & eiuſdem exIcerationes, & gonorrhoeas, aliaſque plurimas cauſas inſequitur, bona interim temperie fruente hepate. bilioſas diarrhoeas, dyſenteriaſque, non ſemper excalefactum hepar authorem habere, patet ex Hipp. non ſolum tertio de diætà num. 12. vbi has affectiones potius tribuit excalefactioni totius corporis, quam hepatis, dum inquit, vbi autem corpore calefacto Dyſenteria non ſéper à calore hepatis.

acris

acris purgatio fit, tunc, & inteſtinum raditur, & exulceratur, ac ſanguinolenta egerunt. fitque dyſenteria; corpore, inquit, calefacto, non hepate calefacto, ſed & lib. de Affect. num. 26. eaſdem affectiones non ab hepate, ſed à capite ortum ducere, notat. Hipp. *hi morbi*, inquiens, *Dyſenteria, & lienteria, ac diarrhoea ſiuè profluuium ventris, conſimiles ſunt; & oportet ipſos ſic ſanare; vt defluxum à capite, & ſuperiori ventre intercipias, aut auertas; morbi enim natura hinc eſt.* & lib. de Aere Aq. & loc. num. 11. eaſdem affectiones refert in aquas paluſtres, & lacuſtres; omitto hìc ſententiam Sennerti lib. 3. ſuæ Praxis, part. 2. ſect. 2. cap. 7. quam tamen veriſſimam puto, non fieri nimirum dyſenterias à ſimplici calore, ſeù calidà, & acri materià, ſed præcipuè à qualitate occultà, cum multi diù laborent biliofis diarrhœis, nec vnquam fiant dyſenterici; alij contrà, cum nec bile abundent, nec calidà valde ſint corporis temperaturà, ab eſu alicuius fructus, vel alià de causà, in quà lateat dyſentericum virus illicò nullà præcedente iecoris excalefactione, vel biliosà egeſtione, in dyſenteriam incidant, vt propterea meritò deridendi ſint illi Medici, qui in omnibus omninò dyſenterijs, perfuſiones, & illitiones refrigerantes ſuper hepar imponunt.

De

8 De capitis doloribus, tam leuibus, ac ſolutu facilibus, quam rebellibus, ac ſæpè recurrentibus, etiam vertigini coniunctis agit Hipp. lib. de Affect. num. 2. nec tamen inter eorum cauſas meminit prçternaturalis hepatis caloris; nec inter eorum remedia, reponit hepar refrigerantia. vertigines idem Hipp. 2. de morb. num. 4. refert in ſanguinem aceruatim ad faciem procedentem; quid autem habet hepatis caliditas, cum ſanguinis motu ad faciem? vigiliæ perennes, non nè ſatius ex calefacto, ſiccatoque cerebro, quam hepati tribuuntur? aurium nonnulli tinnitus adeò non proficiſcuntur ab hepatis calore, vt potius ſequantur refrigerationem plantarum pedum, cuiuſmodi ſunt illi tinnitus, quos inter ſymptomata grauedinis reponit Celſ. lib. 4. cap. 2.

9 Salſæ deſtillationes, tot morborum cauſæ, non ab hepate feruidiori, ſed à cerebro iuſtà doctrinam Hipp. dependent, vt videre eſt 2. de Morb. num. 46. vbi *cerebrum*, inquit Hipp. *Concaleſcens, ſalſuginoſum humorem effundit*. adeò à verà, & germanà Hipp. Arte recedunt ij Medici, qui relatas hactenus affectiones, & alias, quam plurimas ſemper in hepatis calorem, tamquã in cauſam referunt, & in omnibus ferè curationibus hepati refrigerando vacant.

Q Mi-

10 Mirum ſanè, & animaduerſione dignum in Hipp. ſcriptis frequentiſſimum hoc apud multos Medicos morbi genus, & tot aliorum morborum cauſam, calidam inquam iecoris intemperiem, aut nunquam, aut rariſſimè occurrere. meminit quidem diuinus ſenex iecoris inflammationis, dum 5. Aph. 58. *hepate* inquit *inflammationem patiente, ſingultus accidit.* meminit quidem hepatis doloris à bile redundante 4. de Morb. num. 8. verum calidæ iecoris intemperiei vix, aut nè vix quidem in eius ſcriptis reperitur facta mentio, immò loc. cit. 4. de Morb. agens Hipp. de bile, & reddens rationem, cur, & quò modò copioſior interdum in corpore fiat; de immodico iecoris calore, quæ apud poſteriores exiſtimatur potiſſima cauſa prouentus bilis, nè verbum quidem; memor fortaſsè aureæ illius propoſitionis, quam habet lib. de Vet. Med. num. 17. vbi *frigiditatem* inquit, *Et caliditatem, ego omnium facultatum minimè potentes eſſe in corpore exiſtimo.*

11 Eant modò recentiores, & hepatis caliditatem omnium ferè morborum cauſam conſtituant. Sed quorſum hæc? vt intelligas amice lector, dum probauero aquam Salmacinam aduerſus calidam iecoris intemperiem; me non eandem probare aduerſus omnes illos

morbos, quos vulgus Medicorum ſemper, & omninò hepati calidiori falsò attribuunt.

12 Hac exceptione ſuppoſità, dico hepati refrigerando aquam noſtrám Salmacinam inſigniter prodeſſe, nec id opus habet probatione, cum hæc aqua, vt reliqua etiam præſidia, illas partes potiſſimum afficiat, quas tangit, maximè autem tranſit per hepar, cum maiori ſuà portione per vrinam reſtituatur. Aqua Salmacina hepar maximè refrigerat.

13 Poſſet tamtummodò hìc quiſpiā ſuſpicari, minimè tutū eſſe aquæ Salmacinæ potum in ijs, qui hepatis intemperie calidà laborant, propterea quod hi omnes ventriculo ſunt frigidiori, minuſque apto, vt aquæ Salmacinæ molem, & frigiditatem innoxiè ſuſtineant. huic tamen reſpondendum eſt (quicquid ſit, vtrum ventriculi frigiditas, caliditati hepatis ſemper coniungatur, quòd hìc diſputare nolo; preſertim cum id multis argumentis reijciat Angelus Victorius Balneoregienſis præceptor olim meus conſult 60.) dummodò ventriculi frigiditas & imbecillitas ab intenſiori hepatis calore dependent, à medicamentis refrigerantibus, & hepar attemperantibus, atque adeò ab ipſo aquæ Salmacinæ potu mirum in modum corrigi, remotà enim cauſà, vt eſt, commune dictum, remouetur effectus; & quidem ſæpè oſtendit

experientia eos, qui ad refrigerandũ hepar Salmacinã indigebant, eandemque ob ventriculi imbecillitatem formidabant; eà tandem Medicorum conſilio epotà, ſimul cum hepatis refrigeratione, ventriculi etiam robur, præter ſpem fuiſſe adeptos. mira igitur habeatur aqua Salmacina in excalefacto iecore attemperando, citrà ventriculi noxam.

De recta Salmacinę vſu, in hepatis calida intemperie.

14 Verum quod ad eius rectum vſum in hoc morbo ſpectat, ſic diſtinguendum puto; vel calida iecoris intemperies eſt antiqua, & habitualis; vel modici temporis, & nondum inhabitum conuerſa. ſi ſecundum non eſt opus generoſo aquæ Salmacinæ præſidio; cum leuioribus remedijs recens morbus emendari poſſit. ſi primum, rurſus animaduertendum eſt. num habitualis intemperies ſit cum materia, vel ſinè materia; ſi cum materia, antèquam aqua Salmacina bibatur, corpus ab excrementitijs, & bilioſis humoribus expurgetur; cum enim corrigi non poſſint intemperies, quæ à materià fouentur, niſi ea prius remoueatur; nec aqua Salmacina per ſe propriè deiectoria ſit, nec electiuè certos humores trahat; neceſſè eſt, in talibus corporibus, eius potum purgatio per accommodata pharmaca præcedat, vt mox aqua, virtute, quà pollet refrigerandi, cali-

dam

dam intemperiem, vel minuat, vel penitus extinguat.

15 Quod ſi iecur habituali calida intemperie laboret ſinè materia (quod vix fieri poſſe credo, cum diuturnæ intemperies, ſemper ſibi aſſocient malos humores) vel corpus non ità multò antè fuerit expurgatum, & exiguum ſit quod redundet, & egeat euacuatione; nullà præmiſsà corporis purgatione, aut primà tantum die deiectorij aliquid ipſi aquæ permiſcentes, tutò poſſumus ad ſimplicem ipſius vſum deuenire.

Vtrum iis, qui nephriticis paſsionibus ſunt obnoxij, & è renibus lapillos, arenulaſque excludunt, aqua Salmacina prodeſſe poſsit.
Cap. XV.

1 PRÆSENTIBVS, ac vexantibus nephriticis doloribus, dum calculus è renis cauitate in vreterem detruſus, anguſtam ſemitam, acrique ſenſu præditam, cum maximo patientium cruciatu excurrit; temeritatis eſſet de Salmacinà propinanda cogitare, cum enim eo tempore, nè copioſa

Salmacina non curat nephritidem.

pioſa quidem enemata infundenda ſint, nè diſtenta inteſtina, renes, & vreteres comprimendo, dolores augeant, & calculo exitum præſtent difficiliorem, quantò magis vitanda erunt ea, quæ ventriculum, & adiacentes partes inſigniter replent, ac diſtendunt?

2 Et ſi, vel neceſſarij cibi in ventriculum ingeſtio nephriticos dolores exacerbat, vt notat Hipp. 6. Epid. ſect. 1. *in renem*, inquiens, *dolor grauis, cum implentur cibo*; quid efficiet aqua Salmacina ad plures libras pota? & ſi natura eoſdem dolores tolerabiliores reddere ſolet, ventriculum vomitu inaniendo, vt Hipp. loc. cit. *vomunt*, ſubdit, *Pituitam; cum verò redundarint dolores, æruginoſa, & melius quidem habent: ſoluuntur autem cũ cibis euacuati fuerint &c.* quid nos contrà naturam ſuppetias morbo feramus, ventriculum aquâ replentes?

3 In curatione igitur nephriticorum, dum in ærumnis laborantes iacent, nullus eſt aquæ Salmacinæ locus. niſi quis eà vti velit, vt materia vomitorij, vel balnei, ac lotionis extrinſecæ, quod non erit abſurdum; verum hi non ſunt proprij aquæ Salmacinæ vſus; cum interim ex aquâ ſimplici, preſertim emollientibus alterata, atque ex oleo, parari poſſint balnea; nec deſint propria vomitoria, quæ minori

quan-

quantitate ſumpta, quam poſtulet aqua Salmacina, ſinè vllo detrimento poſſint per ſuperiora ventriculum inanire.

4 Tota igitur difficultas eſt de præſeruatione, vtrum aquæ Salmacinæ vſus poſſit, & lapillorum in renibus generationem inhibere, & nephriticis paſſionibus, ac renum calculis obnoxios ità præſeruare, vt in poſterum, vel omninò ſecuri à tanta calamitate viuant, vel per longiora interualla morbi ceſſatione fruantur, aut ingruentem ſæuitiem minori, ac breuiori cum acerbitate ſuſtineant.

5 Non me latet, iſtius rei determinationem à proxima, & immediata calculorum cauſa petendam eſſe, cum nihil aliud ſit præſeruatio, quam latentium morbificarum cauſarũ, priuſquam ſeſe exerant, & morbos efficiant, eliſio. verum, quia non conuenit inter rei Medicæ ſcriptores de cauſa calculorum efficienti principali, ſicut conuenit de materia, quam omnes vnico conſenſu aſſerunt, eſſe humores craſſos, viſcidos, fæculentos, terreos, limoſos, tartareos; ea, quæ in controuerſia poſita ſunt, & altiorem requirunt indaginem, quia praxim Medicam non ſcribo, conſultò prætereo.

Præſeruatio quid.

Materia calculorũ.

6 Quicquid igitur ſit, ſiuè tanti mali cauſa proxima, & immediatè efficiens ſit calida renum

Variæ de renalium calculorũ cauſà ſententiæ.

num intemperies;ſiuè eorumdem ſiccitas: ſiuè ſpiritus quidam ſalis: ſiuè lixiuium acre: ſiuè ſuccus lapideſcens: ſiuè aqua petrificans: ſiuè viarum anguſtia: ſiuè mala renum conformatio: ſiuè arenoſa, & calculoſa renum conſtitutio, mihi ſatis eſt ſupponere, quod omnes vno ore fatentur, renum videlicet caliditatem, ac ſiccitatem, ſed præcipuè ſiccitatem, ſin minus vt cauſam efficiẽtem principalem, certè vt cauſam, aut conditionem ſinè quà non, ad lapidis generationem concurrere. id mihi, inquam, ſatis eſt ſupponere, vt concludam, aquæ Salmacinæ potum præſtantiſſimam eſſe renalium calculorum antidotum, ac mirificè poſſe, imminentes nephriticos dolores auerruncare.

Salmacina præſeruat à nephritide.

7 Cum enim hæc aqua ferè tota ad renes, & hinc ad veſicam deferatur, non ſolum poteſt vias dilatare, meatus expurgare, excrementa protrudere, limoſas fæces abſtergere, & ſic gignendis calculis materiam ſubtrahere. verum etiam dulcem quandam humiditatem, mollitiem, & lubricitatem renibus impertiri, calculorum generationi aduerſiſſimam. & quidem quantum conferat generandis calculis renum ſiccitas, exemplo docent infantes, & pueri, quorum renes naturalem humiditatem, ac mollitiem, quam à principijs generationis contraxerunt,

Renum ſiccitas multum confert ad generandos calculos.

runt, non dum exuti; calculorum generationem, & cruciatus ignorant; ſenes contrà, cum ætas vorax in dies humidum primigenium, ac radicale populetur, & ſolidas omnes partes exiccet, renes habere ſolent, calculorum feraciſſimos.

8 Nec dicat quiſpiam, ſiccitate laborare non poſſe renes, ad quos ſeroſitatum ſaburra aſſiduè confluat. humiditates enim ad renes confluentes, cum ſalſæ, ac nitroſæ ſint, vt oſtendit lotium, ex quo per deſtillationem ſalis non parum elicitur, ſiccitatem potius, aquæ marinæ inſtar, quam humectationem inducunt.

9 Aqua igitur Salmacina, & alijs de cauſis, & quia renes potiſſimum humectat, & tenuiſſimà quàdam viſciditate lubricat, calculorum generationi maximè aduerſatur. quod ſi illi, vel ſacchari modicum, vel mellis admiſceatur, quià abſtergendi vim non leuem ex horum admiſtione nanciſcitur, efficacior erit; hæc tamen ità admiſcenda ſunt, vt humectandi aquæ facultati, cui plurimum tribuimus, non multum derogent; atque dum illis potiſſimum corporibus propinatur, quorum renes viſcidis ſcatere excrementis, ex vrinis clarè conijcimus.

10 Quod reliquum eſt, ſi in vllis alijs præter naturam affectibus, vel curandis, vel præ-

De recto aquæ Salmacinæ vſu in renum calculis.

cauendis, aquæ Salmacinæ potum præire debet corporis expurgatio; in renum affectionibus maximè debet. intelligo autem hic per corporis expurgationem, ventriculi, & primarum viarum, ac ductuum, qui antè renes ſunt, expiationem; nè ſcilicet excrementa in huiuſmodi vijs redundantia, ab aquà ad renes cum ęgrotantium detrimento protrudantur. cum alioqui totius corporis, & remotarum etiam partium, per valida, & ex longinguis trahentia pharmaca, purgationem, non modò, nec vtilem, nec neceſſariam, ſed noxiam exiſtimem. propterea quod non poſſit fieri ſinè maximà humorum agitatione, virium proſtratione, ac totius corporis excalefactione, & exiccatione calculoſis valdè noxia.

11 Hæc autem leuis corporis expurgatio pharmacis deiectorijs, etiam pluries, ſi opus fuerit, replicatis; non autem ipsà aquà Salmacinà, eorumdem miſtione, deiectorià reddità, & copiosè primis ſtatim diebus, omninò impurgato copore propinata, celebrari debet; nè medicamentũ exhibeamus ſimul deiectorium, ac diureticum, vt ſæpe fieri ſolet, cum in morbis renalibus, omnis diureticorum vſus, impuris vijs, quæ ſunt antè renes, omninò cauendus ſit. dixi autem primis ſtatim diebus, & omninò

ninò impurgato corpore ; nam ſi corpus non ſit valdè cacochimum , & viæ præſertim antè renes excrementis non admodum abundent; vel ſemel ſaltem expurgans aliquod pharmacum propinatum fuerit ; tunc tandem ad meliorem expurgationem,etiam aquà Salmacinà, vel admiſto, vel præpoto aliquo ex medicamẽtis aluum mouentibus, deiectorià reddità,& in multà etiam quantitate, vt renes petat, ſaluberrimè vſurpari poteſt. non ſolum autem per aluum educentibus , verum etiam vomitorijs procurari poteſt corporis expurgatio ad Salmacinæ potum calculoſos præparans;immò ſi ventriculum viſcidæ cruditates infeſtent, laborans ſit gracilis , & ad vomendum pronus , vomitus deiectioni præferendus.

12 Antèquam hoc caput abſoluam , pulcherrimum , & verè aureum Hipp. text.affero, ex quo quicquid hactenus docui de aquæ Salmacinæ viribus , ac recto ipſius vſu , in calculis renalibus præcauendis Hipp. doctrinæ maximè conſonum eſſe, quiſquam intelligat lib. de intern. Affect. num. 15. de renum lapillis agit Hipp. traditiſque illorum ſignis, & cauſis (materiali nimirum , non autem efficienti , quæ res me venia dignum facit, ſi ſuprà in magna Authorum diſſenſione , cauſam efficientem prin-

cipalem calculorum renalium, determinare prætermiſi. quid enim ego decernam, quod ipſemet Hipp. interdum, tamquam valdè dubium ſub ſilentio prætęrijt?) accedens tandem ad remedia, generoſo quodam præſidio vtitur, quod aquæ Salmacinæ vices gerit. propinat nimirum iuris cicerum alborum congios duos, hoc eſt lib. 18.

Cicerum alborum vires.

13 Vide, num aptiori ſuccedaneo, Salmacinam, quà carebat, ſupplere poſſet diuinus ſenex. cicerum alborũ facultates deſcribens ipſemet Hipp. 2. de diæta num. 8. *cicer*, inquit *Album per aluum ſecedit, & per vrinam eijcitur, & alit; & alit quidem carnoſum in ipſo; per vrinam verò eijcitur dulce; per aluum autem ſecedit ſalſuginoſum*. modò quià in calculoſis non quærit Hipp. nutritionem, ſed renum abſterſionem; non exhibet loco cit. de intern. Affect. ſubſtantiam cicerum, in quà reſidet carnoſum, quod alit, ſed ſuccum, ideſt decoctum, in quod transfunditur dulcedo quædam, & ſalſugo, quæ facilè ſecedit, & per vrinam eijcitur. Et quià Hipp. primariò intendit renum abſterſionem, decoctum in magnà copià exhibet, & inter cicerum ſpecies eligit albos, ſeù columbinos appellatos, qui teſte Theophr. lib. 8. de hiſt. Plant. cap. 5. inter omnes alios dulcedine

præſtant, ac propterea eorum ſuccus maximè per vrinam eijcitur, ſi vera docet Hipp. lib. 2. de diætà num. 8. ſupr. cit. vbi per vrinam eijci ſtatuit dulce, quod eſt in ciceribus.

14 Innuimus ſuprà Salmacinam malè propinari calculo renali laborantibus impurgato corpore. Hipp. ijſdem cicerum decoctum non exhibet, niſi poſt celebratam ſcammonij ſucco corporis expurgationem. conceſſimus ſuprà niſi primæ viæ valdè fuerint impuræ, aut ſi exhibito pharmaco magna ex parte excrementa dimiſerint, ad reliquias educendas poſſe ipſi aquæ Salmacinæ deiectorium aliquod, vel præpotari, vel permiſceri, eandemque ſic alteratam copiosè, vt fieri ſolet, propinari, vt non ſolum per vrinam, ſed magnà etiam ex parte per ſeceſſum tranſeat. eodem collimat etiam Hipp. dum decocto cicerum addendum iubet ſalem; ſi enim, vt ipſemet ſcribit 2. de diætà num. 8. *Cicer per aluum ſecedit, propter id, quod in ipſo ſalſuginoſum eſt*, vtique addito ſale magis ſecedit.

15 Diximus aquæ Salmacinæ potum calculoſis renibus conuenire in præſeruationem; non autem in curationem. hoc idem de cicerum decoctione largè potà ſentit Hipp. propterea eam non exhibet, dum nephritici dolores

actu

actu affligunt, quod clarè colligitur ex tex. vbi non ità multò poſt ſubdit Hipp. cum autem dolor preſſerit, multà calidà lauato; ergò quæ ſuprà propoſuit, dolore non actu premente, facienda voluit; ergò in præſeruationem, non autem in curationem. & quidem, ſi actu vexante dolore decoctione cicerum vti voluiſſet Hipp. non albos, ſed nigros, arietinos nuncupatos elegiſſet, ac decoquiſſet, in quibus nimirum manifeſta vis frangendi lapidem reſidet, vt notat Gal. 1. de Alim. facult. cap. 22. frangentia autem, quæ tempore paroxiſmi proſunt, extrà illud nocent, renes magis exiccando, ac proindè calculorum generationi aptiores reddendo.

16 Duæ tantum ſuperſunt difficultates. prima, quomodò poſſimus nos exemplo Hipp. qui largiſſimà potione decoctionis cicerum alborum renum calculis obnoxijs ſuccurrebat; eiſdem copioſo aquæ Salmacinæ potu ſubuenire; cum illa decoctio calefaciens ſit, & exiccans; noſtra verò aqua Salmacina refrigerans, & humectans? ſecundo, cùr ſuprà ad purganda corpora Salmacinam ſumptura, reſpuimus valida cathartica, lenioribus contenti, cum Hipp. loc. cit. de intern. Affect. antèquam propinet cicerum decoctum, non blandis medicamentis,

ſed

ſed validis corpus expurget, ſucco nimirum, aut radice ſcammonij.

17 Ad primam difficultatem vt reſpondeamus, omninò negandum eſt, cicerum alborum decoctionem, calefaciendi, atque exiccandi facultate pollere; licet enim cicer ſaltem in primo gradu calidum, & ſiccum ſtatuatur, tamen maior eſt vis humectandi, ac refrigerandi ipſius aquæ, quam vt poſſit à virtute oppoſitâ cicerum extingui; & quidem, ſi inter potiones refrigerantes in febre ardente reponit Hipp. lib. 3. de Morb. num. 29. aquam, in quà bullierit lini ſemen, aut Apium, aut etiam cuminum, quod ſanè cicere albo longè eſt calidius, ac ſiccius; cur non itidem refrigerantem, & humectantem cenſebimus aquam, in quà cicer ebullierit? omnes ſentiunt hordeum eſſe ſiccum, docetque Hipp. 2. de diæta num. 6. hordei tamẽ aquam humectare, nemo eſt, qui neget. corrigunt quidem ciceres intenſam aquæ frigiditatem, & humiditatem, faciuntque, vt illa calori natiuo, ac viſceribus minus infenſa, faciliorisque tranſitus, tutius in tam magnà copià bibatur; quod ſanè eſt illud idem, quod admiſti, mirabili naturæ artificio, ſulphurei ſpiritus aquæ noſtræ Salmacinæ præſtant, vt ſuo loco diximus cap. 7. num. 2.

Quod

Hipp. etiã ſcammonio vtebatur ad leniter purgandum.

18 Quod attinet ad ſecundam difficultatem, breuiter reſpondeo, conſueuiſſe aliquando Hipp. etiam ad leuiter, & blandè expurgandum, vti ſcammonio, ſiuè quià illius optimam præparationem calleret. ſiuè quia in valdè paucà quantitate præſcriberet. qui id non credit, adeat lib. de rat. vict. in acut. num. 50. vbi *ſcammonio dato*, inquit Hipp. *moderatè purgato*, licet igitur antè potionem decoctionis cicerum exhiberet ad purgandum corpus, ſuccum, aut radicem ſcammonij, non propterea nos redarguit, qui antè potionem aquæ Salmacinæ, lenibus, ac blandis pharmacis, corpora purganda eſſe, profitemur.

19 Non ſolum, vt cæteræ minerales aquæ ſolent, largè, effusèque medicamenti loco Salmacina epota, calculoſis ſummoperè prodeſſe, eoſque ab ærumnis præſeruare, poteſt; verum etiam potus loco aquæ ſimplicis inſtar, vel pro diluendo vino inter comedendum vſurpata, vel parum antè prandium cyatho calens bibita, præſtantiſſima erit, renalium calculorum antidotus, longè enim melius, quam aqua ſimplex ob admiſtam ſulphureorum ſpirituum quandam veluti vnctuoſitatem, renum cauitates, molles, madidas, ac lubricas conſeruabit.

20 Si Baldius in ſua Quæſt. de multitud. cal-

calculoſorũ: in Vrbe, aquam Tyberis propterea, quod lubricæ cuiuſdam veluti vnctuoſitatis ſit particeps, & partes etiam externas noſtri corporis, quas abluit, non aſperas, vt cæteræ aquæ, ſed molliores reddat, fortaſsè ob admiſtam ſulphuream Naris fluminis aquam ad præcauendos calculos, adeò extollit, vt propter eius intermiſſum vſum exiſtimet, noſtris temporibus frequentiſſimos eſſe Romę calculoſos, & longè plures, quam olim ex calculis laborare, ac perire; quicquid de magnorum fluminum aquis ſcribat Hipp. lib. de Aer. Aq. & loc. num. 21. vbi *calculo* inquit *Maximè laborant homines, & ex renum affectionibus, & vrinæ ſtillicidio, & coxendicum morbo corripiuntur, & herniæ fiunt, vbi aquas omnigenas bibunt, & de magnis fluminibus, in quæ alia deferuntur*. ſi inquam ob ſenſibilem quendam lubricum læuorem, authoritate Hipp. in contrarium adductà non obſtante Tyberinam aquam à calculis maximè præſeruare, non dubitarint aliqui aſſerere. quid nobis dicendum erit de aquà Salmacinà, in quà eandem, vt ità dicam, oleaginoſitatem, ac mollitiem, citrà magnorum fluminum vitia experimur, & quam calculoſis mirificè prodeſſe, citrà Hippocraticæ doctrinæ repugnantiam affirmare poſſumus?

Aquæ Tyberina cur laudata ad uerſus calculos.

21 Quod de aquà Tyberina, pro diluendo vino vſurpata obſeruauit Clariſſimus Vir, & æternæ memoriæ Medicus Pontificius Alex. Petron. lib. 2. de Victu Roman. cap. 6. eam nimirum, ijs, qui arenulas meiere ſolent, multò plures, ac copioſiores promouere: hoc idem felicíſſimè præſtare noſtram aquam Salmacinam, quilibet experiri facilè poteſt. vt meritò eam appellarim præſtantiſſimã calculorum renalium antidotum, cenſeoque ſi quis eà familiariter vtatur, niſi potentiſſimis de cauſis calculoſis affectionibus ſit obnoxius, eum toto vitæ tempore, à tantà calamitate fore immunem.

Aqua Salmacina mouet arenulã & mictionem.

Vtrum Veſicæ calculo laborantibus aqua Salmacina ſit vtilis. Cap. XVI.

1 A RENVM lapillis ad veſicæ calculos deſcendimus, qui illos adeò excipiunt, & conſequuntur, vt nemo ex doctrinà Fernel. lib. 6. de part. Morb. & ſympt. cap. 13. lithiaſi laborare poſſit, quin prius nephriticos cruciatus è renum calculis paſſus fuerit. propterea quod lapis omnis, exortum in renibus, inquit ipſe, (an verè non eſt

noſtri

noſtri inſtituti hìc diſputare,) incrementum dumtaxat in veſica nanſciſcatur.

2 Non quærimus autem hìc, vtrum aqua Salmacina valeat ad præcauendum calculum veſicæ, nam licet hoc negari non poſſit, præſertim ſuppoſitâ ſententiâ Fernel. ſi enim, vt probauimus cap. proximè ſuperiori, Salmacina potens eſt in præſeruando à calculo renali, multò magis, & à calculo veſicæ, qui ab illo ortum ducit. tamen quia veſicæ calculus non habet ſuas inuaſiones, & interualla, ſicut renalis; ſed poſt quam ſemel in veſica excreuit, continenter affligit. de eius curatione potius, quam de præcautione Medici conſuluntur. quærimus igitur, vtrum aqua Salmacina veſicæ calculos curare poſsit.

3 Equidem quamuis Salmacinæ vires, & laudes amplificare potius, quàm coarctare contendam; abſit tamen, vt facultates, quibus caret, illi tribuam; & ad illos morbos curandos, ad quos apta non eſt, adhibendam prædicem. ea eſt ſaluberrimæ iſtius aquæ dignitas, vt mendacijs extolli, non indigeat. ingenuè fateor, calculo veſicæ laborantibus, Salmacinę potum, non modò nihil vtilitatis, ſed etiam detrimenti plurimum allaturum. Salmacina veſicæ calculos non curat.

4 Cum enim tota, & vnica veſicæ calculi

curatio poſita ſit in ipſius calculi extrà corpus eiectione, quam neceſſariò præcedere debet eiuſdem confractio, & in minimas particulas diuiſio, vt per colis meatum, vnà cum vrina, mingi poſſit; non video, quid ad hoc conferre valeat aqua Salmacina, in quâ vim frangendi lapidem non agnoſco. immò nec in aliâ vlla aqua, nec in alio quouis medicamento, ſiuè ſimplici, ſiuè compoſito, talem ineſſe facultatem crediderim, vt per os propinatum, veſicam petat, ibique duriſſimos lapides, ſæpè etiã malleis refractarios confringat, conteratque.

Medicamẽto veſicæ calculos frangẽtia, non dãtur.

5 Dicant alij quicquid velint, acriter, vti lubet, contrà hanc ſententiam inuehatur Duretus in Coacis pag. mihi 360. de morbis veſicæ Coac. 5. afferat ſuas obſeruationes Schench. lib. 3. obſer. 218. extollat ſuo arbitratu indicum præſidium Monardes lib. 3. ſimpl. med. ex nouo orbe allat. cap. de Cochoſ. prædicet Augenius tom. 2. epiſt. lib. 9. epiſt. 8. compoſitum illud remedium ex pulu. Milleped. præp. aqua ardenti, & iure cicerum rubeà Sacerdote quodam è ſocietate Ieſu propoſitum, & Romæ à filio Typographi Pontificij feliciſſimè vſurpatum, ſcribat Auenzoar, reliquis omnibus præſidijs ad frangendos Veſicæ calculos præſtare Balſamũ narret Matthiolus in lib. 1. Dioſcoridis. cap. 100.

ſe vi-

ſe vidiſſe, ſolo potu ericę veſicæ calculum in minimas partes comminutum, proponant alij plurima id genus medicamenta, teſtenturque vt lubet experientiam, iterum dico, me illis non adhibere fidem, nec niſi videro, adhibebo.

6 Neque id peruicaciæ mihi tribuatur, cum præter alios, duo habeam præclariſſima Artis Medicæ lumina, mecum idem ſententia, Ludouicum Mercatum, & Hieronymum Capiuaceum, illum lib. 4. de intern. Morb. curat. cap. 11. hunc lib. 3. ſuæ Praxis cap. 28. & 31. ſed & Gal. ipſe, qui alibi ad frangendum veſicæ calculum multa remedia proponit 6. tamen Epid. com. 5. text. 26. veluti ſui oblitus (tanta vis eſt veritatis) illa habet verba, veſicæ calculus manuum dumtaxat operâ curari poteſt. inutilem igitur cenſeo veſicæ calculo laborantibus aquæ Salmacinæ potum.

7 Quod verò ijſdem non mediocriter etiam nocere poſſit, facilè concedet, qui animaduerterit, nullo tempore magis offendi huiuſmodi calculoſos, quā tempore mictionis; tūc enim ad vrinæ excretionem conſtringens ſeſe veſica, lapidis duritiem, & ſcabritiem atrociſſimo cum dolore perſentiſcit; & laborantes, qui alioqui ſuum morbum patienter ferunt, inter mingendum à lachrymis, & eiulatu temperare

Salmacina ijs, qui veſicæ calculo laborant noxia.

non

non poſſunt, propterea ijs optimè conſultum crediderim, ſi modus inueniri poſſet, quo ſinè mictione viuerent, aut certè rariſſimè mingerent. contrà, diuretica omnia ijs aduerſiſſima ſunt, quibus nimis frequenter ad dolores, & cruciatus reuocantur.

Diuretica noxia veſicæ calculo laborantibus.

8 Cum igitur aqua Salmacina natura ſuà renes petat; & per veſicam crebris mictionibus refundat, non video, quid calculoſis præter dolores, & labores præſtare poſſit. Quod ſi quis dicat, calculoſas veſicas aquà Salmacinà abſtergi, & ſin minus à calculo, certè à mucoſis impuritatibus, & ſabuloſis fæcibus emundari; is noſtram ſententiam non infirmat, ſed confirmat; cum minus mali ſit, minuſque dolorificum, veſicam multo muco oblitam lapidi ſabuloſis fæcibus inuoluto occurrere; quam puram veſicam abſterſi lapidis duritiem, & ſcabritiē ſinè vllo munimine tolerare; quibus de cauſis Eminent. Cardinali Friderico Cornelio, veſicæ calculo laboranti, aquas Lucenſes ſummopere nocuiſsè, narrat Mercur. to. 3. conſ. 111. vt omnem aquam thermalem diureticam damnat in calculo veſicæ tom. 4. conſil. 4.

9 His accedit aquæ Salmacinæ frigiditas naturà ſuà veſicæ inimica, vt notat Hipp. 5. Aph. 22. quod ſi vera eſt ſententia Gal. com. 3.

ſuper

ſuper 6. Epid. tex. 15. naturalem veſicæ frigiditatem gignendis ex craſſitudine vrinarum in eà calculis plurimum conferre; quanti detrimenti erit huiuſmodi calculoſis aquæ Salmacinæ potio, quæ veſicæ frigiditatem neceſſario augebit?

10 Dixi, ſi vera eſt ſententia Gal. cum eam hìc defendere non intendam; præſertim cum oppoſitum videatur ſentire Hipp. tum lib. de Natur. hum. num. 24. vbi expreſsè ſcribit, fieri calculos in pueris propter eorum veſicæ caliditatem; tum etiam lib. de Aer. Aq. & loc. n. 22. vbi docet, non omnes ex prauarum aquarum vſu, in veſica calculum generare; ſed eos dumtaxat, *quorum veſica ardens, & feruida eſt*. licet alibi diuinus ſenex hac de re dubitarit, nec quicquam certi auſus fuerit affirmare, vt videre eſt 6. Epid. ſect. 3. *vbi in pueris*, inquit, *poſt victum concretio, num quia calidiores?* addidit; inquit Gal. in com. dubitatiuá coniunctionem, qui loquendi modus, pro certo affirmare non audentis, indicatiuus eſt. ſed & Gal. ipſe qui loc. cit. naturalem veſicæ frigiditatem ad calculorum generationem conducere ſentit; alibi ſibi parum conſtans à caliditate ſtare videtur, vt 3. Aph. 26. in cuius com. ideò veſicæ calculis magis obnoxios eſſe pueros, docet, quam ſenes; quia

Gal. & Hipp. contradictio.

quia in pueris ad materiæ craſſitiem accedat caloris vehementia; ſenes verò calorem fortem non habeant, qui ex materiâ craſsâ vaporem reſoluens, lapidem generet.

11 Vbi igitur primi Medicinæ parentes non modò inuicem, ſed à ſemetipſis diſſentiũt, aut certè dubitant, meam interponere ſententiam, temerarium exiſtimo, præſertim cum praxim medicam non ſcribam, & difficillimæ iſtius contradictionis ſolutio ad rem, quà de hîc ago, parum faciat. nam ſi veſicæ frigiditas ad calculi generationem conducat, hac etiam de causâ præter alias rationes, erit veſicæ calculo laborantibus aqua Salmacina detrimento; ſi verò veſicæ caliditas potius, quàm frigiditas ad lapideam illam concretionem requiratur, & propterea aqua Salmacina tamquam refrigerans videatur profutura, nihilominus tot, tantæque ſunt rationes eam prohibentes, vt ſola veſicæ caliditas ad eam indicandam exigui momenti habeatur. præſertim cum experientia oſtẽdat, à nullâ re magis offendi ex veſicâ calculoſos, quam à frigiditate.

Frigidum inimicum veſicæ.

12 Ideò illis Medicinam facientes, ſi fotus pectini imperamus; ex ſimplicibus moderatè calidis componimus: ſi balnea vſurpamus; vel ex oleo paramus naturâ ſuâ calidò; vel ſi ex

aquâ,

aqua, calida ſimplicia incoquimus: ſi linimenta adhibemus; olea Aneth. liliacea, de ſcorpion. & ſimilia calida eligimus: ſi detur aeris optio, frigidum improbamus, ad calidas regiones ægrotantes mittimus: hyeme cubicula benè claudimus; ignem ſuccendimus; frigidas omnes potiones ablegamus. exiſtimo igitur aquam Salmacinam ex veſica calculoſis, non modò inutilem eſſe, ſed etiam noxiam & ſanè res eſſet monſtro ſimilis, ſi quos morbos, non niſi ferrum ſanat, aqua Salmacina ſanaret,

13 Inficiari tamen non poſſum, ſi quis lithiaſi laborans, paruos lapillos, aut fragmenta intrà veſicam contineat, aut veſicam habeat immodico præternaturali calore affectam, vlceribus plenam, & mucores, viſcidæque fæces, quas mingit, acerrimæ ſint, ac nitroſiſſimæ, ità, vt magis lædatur ab ipſa veſicæ intemperie, ſoluta vnitate, fœdiſque excrementis, quam à lapide; huic aquæ Salmacinæ potum ſalubrem futurum, & ſaltem ad tempus exurentis caloris remiſſione, prauæque materiæ, vlcerumque abſterſione, dolorum leuamen non mediocre allaturum. atque hæc eſt ratio, cur nonnulli veſicæ calculo laborantes ab huiuſmodi refrigerantium aquarum mineralium potu interdum aliquantiſper adiuuentur, ac propterea

decipiantur nonnulli Medici, putantes etiam aduerſus veſicę calculos aquarum mineralium, præſertim refrigerantium potum plurimum valere; cum tamen vtilitas illa, & dolorum remiſsio non proficiſcatur à virtute huiuſmodi aquarum contrà veſicæ lapidem; ſed contrà nonnullos veſicæ morbos, & ſymptomata, quæ interdum lithiaſim comitantur, & magis quam ipſamet lithiaſis offendunt. his de cauſis aquas minerales ferreas in calculo veſicæ laudat Montan.conſ.27. & ad expellenda comminuti calculi fragmenta aquam Ficuncellæ, vel Villæ exhibet Zoroaſter Tinel.conſult.18.

De recto aquæ Salmacinæ vſu aduerſus ſcabiem, & pruritum. Cap. XVII.

1 FREQVENTISSIMVM eſt ęſtate Aſculanis ſcabie, ac pruritu laborantibus, ad aquæ Salmacinæ potum inconſultis etiam Medicis confugere, diſpari tamen euentu; cum plerique mundentur; non nulli nihil indè melius habeant; quidam etiam largius, vehementiuſque inficiantur. quamobrem operæ pretium eſſe duxi,

variorum horum euentuum rationem aperire, ac rectum Salmacinæ ſcabioſis propinandæ methodum exponere.

2 Porrò ſi ſcabies omnis nō aliundè, quam à calidiori iecoris intemperie proficiſceretur, vt vulgus Medicorum credit; ſemper ab aquà Salmacinà, quæ calidas omnes dyſcraſias mirificè corrigit, feliciſſimè curaretur. verum quia multas alias habet cauſas, quarum alias aqua Salmacina remouere poteſt, alias non; ideò non omnes ſcabie fœdati, eam æquè proficuam experiuntur. vt igitur vnuſquiſque rebus ſuis conſulere poſſit, & conſtet, quibus nam ſcabioſis aqua Salmacina opituletur, de ſcabiei cauſis pauca quædam præmittenda ſunt. Cur omnes ſcabioſi, æque ab aquà Salmacina adiuuētur.

3 Neminem latet, pruriginoſæ cutis exulcerationis proximam, immediatam, & vt appellamus coniunctiuam cauſam eſſe excrementum quoddam acre, mordax, ſalſum, & nitroſum, vno verbo, exulcerationi aptum, ad ambitum corporis tranſmiſſum, & in cute retentum. cuiuſmodi malam qualitatem, cum non ſolum cæteri omnes humores, ſed & ſanguis ipſe, ſi corrumpatur, induere poſſit; ideò diſſentire videntur Authores, cum tamen minimè diſſentiant, dum alij ſcabiem tribuunt pituitæ, vt Hipp. lib. de Affect. num. 35. alij melanco- Scabiei cauſa proxima, & immediata

 liæ,

liæ, vt Gal.3.de alim.fac.cap.2.alij bili, immò & ſanguini, vt Auic.7.4.tract.3.cap.6.

Scabiei cauſæ antecedentes.

4 Vndè autem ſcabioſum iſtud virus in corpore proueniat, & cur humores corroſiuis inquinamentis inficiantur, variæ ſolent eſſe cauſæ antecedentes, & occaſiones, nonſolum iecinoris, vt omnes conſentiunt, ſed & aliorum etiam viſcerum calida, & ſicca intemperies, humores adurens, ventriculi ſcilicet, lienis, pulmonis, cerebri; immò, & obſtructiones, præſertim ad hepar, lienemque pertinentes, ſcabioſæ virulentiæ dare ſolent anſam. his accedũt cruditates: ætas decrepita: exercitationes intempeſtiuæ: alimenta praui ſucci, & excedentium qualitatum: ſordities, & corporis cultus incuria: excrementorum naturalium nimia retentio: conſuetarum euacuationum ſuppreſſio: contagium: lues venerea: febres diuturnæ, præſertim quartanæ, Animi paſsiones, & ſimilia.

Scabies ſæpè ab hepate.

5 Ex hepate calidiori, ac ſicciori ſanguinem gigni ſalſum, & nitroſum, ſcabiei producendæ aptiſsimum, nemo eſt, qui neget, nec immeritò; cum enim ſit hepar ſanguinis officina, ab eius bonà, vel malà conſtitutione fit, vt bonus, vel malus ſanguis generetur. idem non minus conſtat de ventriculo, nam ſi ſecunda concoctio nõ corrigit primam, ex chylo adu-

rentis naturæ in ventriculo calidiori, ac ſicciori genito, non niſi acrimoniæ particeps ſanguis poteſt in hepate, etiam benè temperato prouenire; quod ſi alimentorum vitia in ſanguine relucent, quantò magis in eodem remanebunt veſtigia qualitatum chyli, qui minus diſtat à ſanguine, minorique eget mutatione, vt in ſanguinem conuertatur. — *Scabies interdum à ventriculo*

6 Lien ob plurimas venas, arteriaſque, quibus conſtat, tantam habet cum maſsâ ſanguineâ ſocietatem, vt eam facilè alteret, immutetque, iccirco ſi intemperie laboret, ſcabiei inquinamentis producendis apta, eam facilè ſanguini imprimit, & lienis vitio totum corpus ſcabie fœdatur; quod longè facilius fiet, ſi vera eſt de vſu lienis Gaſparis Hofmanni opinio, docentis in ſuo lib. huic rei dicato, ac de vſu lienis inſcripto; non ideò à naturâ fabricatum eſſe lienem, vt ſanguinem ab excremento craſſo, ac melancolico expurget, vt docet Gal. 2. de loc. Affect. cap. 1. & alibi, verum vt ſanguinem pro corporis nutritione ferè æquè, ac hepar gignat, ità vt chylus ex ventriculo non totus in hepar, ſed partim etiam in lienem transfundatur, partimque in hepate, partim in liene ſanguinis formam accipiat; quæ ſententia validis etiam rationibus defenditur à doctiſsimo Sennerto — *Scabies à liene.* — *Lienis vſus*

lib.

lib. 1. inſtit. cap. 9. & lib. 3. ſuæ Praxis part. 4. c. 1. immò adhuc facilius lien intemperatus ſua vitia ſanguini comunicabit, ſi vera eſt opinio Piſonis ſentientis in ſuo lib. de Morbis à ſeroſà colluuie ortis; non ſolum lienem vi ſanguificatrice prædıtum eſſe, ſed longè etiam excellentiori, atque perfectiori, quam hepar; cum ſtatuat hepar officinam ſanguinis venoſi, lienem verò ſanguinis arterialis.

Scabies interdum à pulmone.

7 Difficilius eſt probare, etiam à pulmone calidiori, ac ſicciori temperie affecto poſſe humores aduri, & inquinari, ità vt ad cutem tranſmiſſi exulcerent, & ſcabiem inducant; verum in hac re omnium rationum inſtar ſit aut authoritas Hipp. qui 2. Epid. ſect. 1. reddens cauſam quorumdam vlcerum, quæ in cute fiebant; *ab humoribus* inquit, *ex corpore ſalſuginoſo, quod ſub cute maximè, & à capite contingit, cum à pulmone fuerit calefactum*. ex hoc tex. probatur etiam cerebri immodico calore humores nitroſos reddi, & ad ſcabiem excitandam diſponi; idem tamen alio etiam Hipp. tex. probari poteſt, nimirum ſecundo de morb. n. 46. *vbi, cerebrum*, inquit Hipp. *concaleſcens, ſalſuginoſum humorem effundit*. non ſolum igitur hepatis, ſed, & aliorum viſcerum calidior, ac ſiccior intemperies, humores adurere, & ſcabie

Scabies interdum à cerebro.

cutim

cutim inficere poteſt, vt propterea merito deridendi ſint illi Medici, qui vix conſpecta ſcabie, hepar ſæpè inſons accuſant.

8 Obſtructionibus præterea hepatis potiſſimum, ac lienis ſæpè ſcabiem referendam eſſe acceptam, ſentit Rudius lib. 1. de ſympt. extern. cap. 8. nec abre, cum fieri non poſſit quin vbi ſunt obſtructiones, calor, qui liberè difflari non poteſt, excandeſcat, humoreſque retenti adurantur, & acrimoniam acquirant, quam poſteà reliquo ſanguini etiam communicent. Scabies ab obſtructionibus.

9 Cruditates inter pruritus cauſas recenſet Gal. 2. de ſympt. cauſ. cap. 7. (non diſtinguo hic inter pruritum, & ſcabiem, cum de huiuſmodi affectionibus ſtudioſè non agam.) quod, licet primo aſpectu minus probabile videri poſsit; cum potius aduſtio, quæ cruditati opponitur, comuni Medicorum conſenſu, ſcabiei, pruritusque cauſa ſtatuatur; tamen cum vſu receptum ſit apud Medicos, crudos appellari omnes illos humores, qui propterea quod à calore natiuo ad qualitatum mediocritatem perfectè redacti non ſint, excedentes præ ſe ferunt vires, ſiuè proprias, vt ij, qui caloris natiui actionem refugerunt, & excedentes, quæ erant in cibis, qualitates retinent; ſiuè ab extraneo calore in- Scabies à cruditatibus.

ductas, vt illi, qui propriè aduſti vocantur, reprehendi non poteſt Gal. ſi inter ſcabiei, & pruritus cauſas, recenſeat humores crudos, vide infrà cap. 18. num. 7. fateor tamen, non quamlibet cruditatem ſcabiei excitandæ ſufficere; ſed eam dumtaxat, in quâ excedentes qualitates cutim corradere, atque exulcerare poſſunt; ſi enim humores aliqui crudi appellantur ob exceſſum frigiditatis, aut craſsitiei, ſinè vllà acrimonia, hi licet crudi ſint, non propterea ſcabiem inducent.

Scabies à prauo victu, & veſtium immunditià.

10 Ibidem inter pruritus cauſas reponit etiam Gal. prauorum ciborum vſum, & corporis, veſtiumque ſorditiem; his de cauſis tuguriorum, carcerumque habitatrix, & pauperum conuictrix, plerumque viſitur ſcabies; ad nobilium ædes, Principumque virorum Palatia, vbi opipare, nitidèque viuitur, ſecus, ac podagra, raro admodum habet ingreſſum.

Scabies ab ætate ſenili

11 Ætas ſenilis pruritu, ac ſcabie, & quidem vel incurabili, vel curatu difficillimà vexari ſolet; tum quia cruditatibus plerumque ſcatet; tum quia cutis eorum minus peruia, tranſpirantes retinet fuligines, quæ coaceruatæ mordent, ac vlcerant; tum etiam quia ſicuti multi liquores temporis diuturnitate acrimoniam quandam, ac nitroſitatem acquirunt, vt

oleo,

oleo, melle, vino; ità etiam ſanguis longo ætatis decurſu multum natiuæ dulcedinis amittit, & acrimoniæ fit particeps. hinc moroſi, & amarulenti ſolent eſſe ſenes; læti, & iucundi adoleſcentes.

12 Licet enim ſanguis, ſicut, & totum corpus, ſit in continuo fluxu, dum quotidiè aliqua eius portio in ſubſtantiam aliti tranſit, noua ex cibis generatur; nec idem prorſus ſit in vltimà ætate ſanguis, qui erat in primà, tamen quia quod regignitur, minimum eſt, cum veteri comparatum, illius qualitates neceſſario recipit, & tota maſſa ſanguinea à temporis diuturnitate ferè æquè patitur, ac omnino eadem perſiſteret; præter quam quod, illud idem, quod in dies regeneratur, vt impleat, quod in nutritionem corporis conſumitur, ſemper paulatim, atque paulatim ab illà primæuà perfectione deficit, & in deteriorem naturam primò quidem imperceptibilem, ſed longo temporis interuallo maximè manifeſtam, delabitur. ità fit, vt maſſa ſanguinea, quæ primis annis, plurimo calore natiuo referta, ſpiribus abundè turgida, dulciſſima, ac mitiſſima erat; in ſenectute pro natiuà, aſcititiam adepta caliditatem; pro ſpiritibus, fuliginibus infecta, nitroſa, & mordax reddatur, ac veluti ranceſcat; vt nihil miri ſit,

ſi huiuſmodi ætas, non quidem ob exceſſum caloris, ſed ob conditiones caloris, ſit pruritui, ac ſcabiei maximè obnoxia.

Scabies ab intempeſtiuis exercitationibus.

13 Inter ſcabiei cauſas, non ſunt omittendæ exercitationes intempeſtiuæ; illæ nimirum, quibus corpora mali habitus, & multis intus ſcatentia excrementis ſeſe tradunt; cum ad cutim protrudant latentia excrementa, & ſcabiei excitandæ præbeant anſam; animaduertit hoc Hipp. 6. Epid. ſect. 5. vbi, vlcera, inquit, fiunt, ſi impurgatus exerceatur. hùc ſpectant naturalium excrementorum retentiones, ſolemnium euacuationum ſuppreſſiones, in quibus optanda eſt ſcabies, & cutis defœdatio, nè interiora corporis grauori malo corripiantur. De contagio; de lue venereà, res eſt certior, quam vt egeat probatione; quis cum ſcabioſis familiariter degit, qui non inficiatur? quoties morbo gallico implicati, præter alia ſymptomata, ferinà, ac peſſimà etiam ſcabie non crucientur?

Scabies critica.

14 Febres diuturnas, & in primis quartanas ſæpe ſæpius per ſcabiem iudicari, tandem aliquãdo rebellibus humoribus, qui nullà euacuatione potuerunt elidi, à naturà vincente ad cutim tranſmiſſis, quotidiè inter Medicinam faciendam obſeruamus. quod ad Animi paſſiones attinet, licet ira, & quæcumque alia pertur-

Scabies ab Animi perturbationibus.

batio

batio ſanguinis ebullitionem concitare poteſt, & corpus excalefacere, ſi diuturnior fuerit, ad ſcabiem diſponat; id tamen potiſſimum triſtitiei tribuendum eſt, quæ quia calorem natiuum populatur, corpus ſiccat, vigilias inducit, ſuccum melancolicum adauget, ad excitandam ſcabiem, quæ vt ſupra diximus ex Gal. inter morbos melancolicos reponitur, plurimum conducit.

15 His de ſcabiei, & pruritus cauſis ità conſtitutis. prudentis Medici erit, ſtatim atque à ſcabioſo aliquo conſulitur, an ad aquam Salmacinam, vt à pruritu, & ſcabie liberetur, poſſit accedere; antequam reſponſum det, illius ſcabiei, vel pruritus naturam, & cauſas perſcrutari, ac primo diſtinguere debet, an affectio illa ſit curabilis, nec nè; fruſtrà enim, immò non ſinè detrimento à Salmacinæ potu auxilium petitur aduerſus eam ſcabiem, quæ naturà ſuà eſt rebellis curationi; morbi namque incurabiles, cum non poſſint curatione proficere in melius, in deterius labuntur; vt de cancris occultis, velut exēpli loco docet Hipp. 6. Aph. 38. atque eò magis irritantur, quò generoſioribus tractantur præſidijs. Cui non ſcabiei, aqua Salmacina ſit vtilis.

16 Quicunque igitur ferinà, inueteratà, ac proximè accedente ad elephantiaſim ſcabie

tenentur, à Salmacinà arcendi ſunt, nè indè deterius habentes, non auxilij, ſed propriæ affectionis vitio, ſaluberrimæ aquæ ſint infamiæ. ſenibus item, quorum ſcabies, & pruritus apud omnes Medicos incurabilis cenſetur, non niſi per imprudentiam Salmacina propinari poteſt. loquor autem hìc de ſenibus, qui non ſolo annorum numero, ſed habitudine etiam corporis tales ſunt; & qui non ſolum in ſenectute, ſed ob ſenectutem ſcabie, vel pruritu, quod frequentius eſt, laborant. qui enim viribus adhuc valent, & cum ſenes ſint, non longæuæ tamen ætatis vitio, ſed alijs de cauſis, in ſcabiem, vel pruritum inciderunt, hi medicamentorum ope ſæpè conualeſcunt, vt de Leonello Pio octogenario refert Mercurial. de morb. cutan. cap. 3. propterea his, & alijs præſidijs, & aquà etiam Salmacinà, niſi quid obſtet, ſuccurri poteſt.

17 Secundo loco Salmacinam alicui, ſcabie, vel pruritu laboranti propinaturus Medicus animaduertere prius debet, num ſcabies, quæ proponitur, debeat curari, nec nè; ſæpè enim huiuſmodi cutaneæ affectiones, licet nullam præſeferant incurabilitatis notam, quia tamen potius abſceſſus ſunt, quam morbi, & vel antecedentes morbos tollunt, vel à grauioribus malis imminentibus præſeruant, curari

non

non debent. Natura, dum corpus expurgat, inquit Gal. 4. Meth. med. cap. 3. omne excrementum ad cutim trudit, atque hanc quidem vlcerari, corpus verò purgari, accidit.

18 Diſtinctio hæc ſcabiei, in ſcabiem abſceſſum, & ſcabiem morbum, deſumitur ex Hipp. lib. 2. prædict. num. vltimo; vbi docet impetigines, lepras, vitiligines, ac cæteras papularum in cute eruptiones, interdum eſſe abſceſſum, interdum morbum, traditque diſtinctiua ſigna, & quidem euidentia, ac ſenſata, vt ſemper ſolet diuinus ſenex, dum ſubdit, abſceſſum quidem eſſe, ſi affatim, ac repentè, copioſè erumpant; morbum verò ſi paulatim, ac lentè appareant. ſcabies igitur, quæ potius abſceſſus nomen, quam morbi meretur, quià vel præſentes morbos iudicat, vel imminentes præcauet; neque Salmacinæ potu, neque alijs præſidijs curanda eſt; quæ verò morbus eſt, & alijs auxilijs, & Salmacinà quoque, niſi quid obſtet, curari poteſt. Scabies duplex.

19 Cum igitur innotuerit Medico, ſcabiem, quæ proponitur, & poſſe, & debere curari, cum nec alij morbi in eam abſceſſerint, nec interiora corporis admodum cacochyma appareant; tunc tandem de medio ſecum ipſe conſultet, & an aquà Salmacinà, an alijs præſidijs,

dijs, ſibi vtendum ſit, deliberet. porrò aduerſus illas ſcabies, quæ ab internà viſcerum calidà, & ſiccà intemperie, vel etiam ab occultà qualitate, & ſcabioſo quodam viru dependent, nullum efficacius, præſtantiuſque aquà Salmacinà excogitari poteſt præſidium; cũ hæc aqua non modò generosè refrigerare, atque humectare poſſit; ſed ob admiſtos ſpiritus ſulphureos, alexipharmacà etiam vi polleat contrà ſcabioſam, pruriginoſamque virulentiã. Quod ſi ſcabies dependeat à viſcernm cbſtructionibus, & quidem validis, atque antiquis, tutiora adhibenda præſidia, omiſsà Salmacinà ob hydropis diſcrimen; ſi verò obſtructiones debiles, ac recentes fuerint, etiam ab aquà Salmacinà aperiri poſſunt, & indè proficiſcens ſcabies curari.

Obſtructiones quando prohibẽt aquæ Salmacinæ potum.

20 Cruditates, quæ in pruritum, & ſcabiem erumpunt, calidique innati plurimam imbecillitatem conſequuntur, detractione potius ciborum, eorumque vſu, qui nullam habent excedentem qualitatem, emendantur, quã Salmacinæ potu, à cuius copià, ac frigiditate puſillus calor, vel ſuffocetur, vel certè imbecillior reddatur.

21 Pruritus, ac ſcabies, quæ à ſola alimentorum prauitate, veſtiumque ſorditie oritur,

ſola

ſola etiam victus mutatione, politiorique corporis cultu adhibito, ſinè Salmacinà remouetur; niſi tamen in corpore radices altius egerit; tunc enim etiam Salmacinà, vel ſimili interno præſidio opus habet, nec ſatis eſt externarum cauſarum remotio.

22 Si quiſpiam exerceri nequit ſinè cutis vlceratione, purgatione indiget, quam, & alijs Medicamentis, & Salmacinæ etiam potu, præſertim per æſtatem, obtinere poteſt, admiſto tamen aquæ deiectorio aliquo pharmaco, educendis humoribus proportionato; præſertim, ſi largior fuerit cacochymia, nè aqua Salmacina retenta in ipſam vertatur, & excrementa, ſcabiemque multiplicet.

23 Scabies, quæ à naturalium excrementorũ retentione, ſolemniumque euacuationum ſuppreſſione, proficiſcitur, eatenus aquà Salmacinà curatur, quatenus euacuationes ſuppreſſas reducere, & excrementorum eductioni conducere poteſt. quià igitur hæc aqua ventris adſtrictionem remouet, vrinas prouocat, etiam ſcabiem, ab his euacuationibus diminutis exortam tollit; quià verò, nec hæmorhoides aperire, nec è naribus hæmorrhagias prouocare, neque ſanata cauteria refricare valet, enaſcentem indè ſcabiem minimè curat, & ſic de alijs ſuppreſſis

euacuationibus; operam enim ludit, immò prauos humores adauget, qui negligens ſuppreſſarum euacuationum reductionem, ſolo largo Salmacinæ potù noxios humores alterare, atque ad benignos conatur reducere.

24 Pruritus, ac ſcabies, quæ ab externo contagio irrepſit, ſolis extrinſecis linimentis ſulphureis, vel ſimilibus curatur, contagium illud in ipſis partibus cutaneis, quibus adhæſit extinguentibus, nec eget generoſo Salmacinæ præſidio, niſi tamen ex temporis diuturnitate, etiam partes internas penetrauerit virus, & humores infecerit; aut Salmacinà pro extrinſecis tantummodò balneis, & lotionibus voluerimus vtì.

25 An ſcabies gallica Salmacinæ potu poſſit curari, videbimus infrà, cap. 23. vbi de huius aquæ potu in ijs, qui gallicà lue laborant, diſputabimus. ij tandem, qui ob Animi paſſiones vehementes, triſtitiam præſertim, in ſcabiem inciderunt, poſſunt, quidem præter alia preſidia etiam copioſo Salmacinæ potu à cutis pruriginosà turpitudine vindicari, ſi vehemens Animi perturbatio conquieuerit. eà verò adhuc permanente ab aquà Salmacinà largè potà caueant, nè peccantes humores multiplicentur, fœdiuſque inficiantur.

Ex

26 Ex his, quæ hactenus dicta ſunt, ſi rectè percipiantur, non modò conſtabit, quibus prurientibus, ſcabioſiſque largus aquæ Salmacinæ potus prodeſſe, vel obeſſe poſſit; verum etiam rectus ipſius in ſcabie vſus innoteſcet. vt plura addere mihi ſuperuacaneum videatur. illud tamen præterire non poſſum. licet aquæ Salmacinæ copioſam potionem, & eiuſdem balneum omnibus indiſcriminatim ſcabioſis imperare periculoſum ſit, cum non modò non omnibus prodeſſe, ſed nonnullis etiam obeſſe experiamur, idque rationi conſentaneum ſit, vt hactenus vidimus. eiuſdem tamen aquæ pro diluendo vino inter comedendum modicus vſus, immò & eadem ſinè vino, potus loco cum cibis vſurpata, ob vim ſulphuream, quà pollet, ſcabiei alexipharmacam, omnibus omninò ſcabioſis, quæcunque ſit ſcabiei cauſa, & occaſio, clauſis oculis, & ſinè vllius detrimenti ſuſpicione, imperari poteſt. cum ſemper hoc modò iuuet, vel ſaltem non noceat, non enim formidamus ea detrimenta, quæ largum ipſius potum, vel etiam balneum ſequi, interdum ſolent. **Salmacina quomodo omnibus ſcabioſis proſit.**

27 Atque hæc de Salmacinæ vſu pro tollendà ſcabiè, ac pruritu; quà in re ſi paulò prolixior fui, ignoſcendum mihi eſt; cum de illà

affectione egerim, in cuius curatione aquæ Salmacinæ virtus maximè rriumphat, adeò, vt ſi proximos fonti accolas, & Caſtri Treſini habitatores interroges, vt ſæpè ego interrogaui, ad quid eorum aqua Salmacina valeat; nil aliud reſpondere ſciant, præterquam ad corporis interiora refrigeranda, & ſcabiem curandam.

An podagrici quicquam vtilitatis recipere poſsint ab aquà Salmacinà. Cap. XVIII.

1 QVIA ſæpius quoſdam conquerentes audiui, plures noſtris temporibus, quam auorum noſtrorum ætate in hac Vrbe podagricis doloribus, & quidem ad mutilationem vſque vexari; quamuis id à veritate alienum putem, cum vix viginti in tota hac Ciuitate modò reperiantur podagrici, ſcribatque Gal. com. Aph.28. ſect.6. ſuà tempeſtate infinitam fuiſſe podagrarum multitudinem. tamen caput hoc addere decreui, quo quærerem, an huiuſmodi laborantibus præſidium aliquod, & dolorum leuamen ab aquà Salmacinà petere poſſem.

2 Innui quidem ſuprà cap.7.num.4 inter Sal-

Salmacinæ vires, & laudes, eam podagricos etiam dolores lenire, ſed loquebar ibi de extrinſecis lotionibus, & perfuſionibus; cum id tum aqua ſimplex poſſit, vt vidimus cap. 1. num. 16. tum præcipuè aquæ ſulphureæ docente Dioſc. lib. 5. cap. 3. ſulphur cum aquà illitum podagricis conducere, hìc verò quæſtio eſt, num aquà Salmacina vltrà ſatietatem medicamenti loco, vt ſolet epota, ſummà præſertim æſtate, quando Podagrici dolorum ceſſatione frui ſolent (dum enim dolentes, & eiulantes pedibus capti decumbunt, ac morbi ſæuitiem deplorant, ſuiſque pedibus, vt inquit Petron. Arbit. maledicunt, ad aquæ Salmacinæ potum non ſunt apti,) ità illis prodeſſe poſſit, vt ſin minus vernum, certè autumnalem morbi recurſum inhibeat, aut tolerabiliorem, breuìoremque faciat.

3 Si Caroli Piſonis ſententiæ acquieſcerẽ, ſtatuentis lib. de morb. à colluuie ſerosà, conſil. de Artht. Podagræ cauſam proximam eſſe aqueam ſeroſitatem, frigidam, & humidam in articulos præſertim pedum decumbentem; cui ſententiæ fauere etiam videtur Paul. Aegin. lib. 3. de re Med. cap. 78. vbì inter procatarcticas Podagræ cauſas reponit inſuetam frigidæ potionem, frigidorumque ciborum eſum; immò, & Gal. ipſe, qui lib. de ſuc. bon. & vit. c. 13.

ex niuis vſu incidere homines docet in articulorum morbos, vix, aut nunquàm ſanandos, ſi huic, inquam, ſententię acquieſcerem, Podagricis omnibus aquà Salmacinà interdicerem, quę virtute refrigerandi, & humectandi præcipuè pollet, ſeroſitateſque in corpore, largè, effusèque bibita neceſſariò adauget. verum perſuadere mihi nunquam potui, dolores tam ſæuos, cruciatus tam acerbos, quibus Podagrici torquentur, à ſeroſitate merè aqueà poſſe proficiſci. quoties homines aquoſis fluxionibus obnoxios cernimus, œdematoſis quidem crurum, ac pedum tumoribus corripi, podagricos tamen dolores neſcire.

Reijcitur opinio Piſonis, de Podagræ cauſa.

4 Cenſeo equidem colluuiei ſeroſæ à maſsà ſanguinis ſecretæ, & in articulos pedum potiſſimum detruſæ, effectum eſſe podagram; ſed hanc ſeroſitatem neceſſe eſt, calidã eſſe, acrem, ſalſam, & nitroſam, vt ſæuas illas membranarum vellicationes, & dolores intenſiſſimos excitare poſſit, neque dum Podagram ſeri morbum conſtituo, Hipp. authoritatem contemno, qui lib. de Affectionibus num. 32. Podagram appellat morbum ſanguinis, non autem ſeri. appellat enim ibi quidem Hipp. Podagram morbum *ſanguinis, ſed in venulis à bile, & pituità corrupti*; quod perindè eſt, ac ſi diceret, mor-

Vera Podagræ cauſa.

morbum ſanguinis, in ſerum diſſoluti. non eſt meum commentum; ſed expoſitio ipſiuſmet Hipp. lib. 1. de morb. num. 28. vbi docens, quamnam corruptionem inferat ſanguini bilis in venas ingreſſa; *cum bilis,* inquit, *Commota ad venas, & ad ſanguinem ingreſſa fuerit, ſanguinem ex conſueta compage, ac motione dimouet, & ſeroſum facit, ac calefacit.* hæc Hipp. ex quibus patet, ipſum nõ ſolum tribuiſſe Podagram ſero, ſed ſero calido, acri, ac nitroſo, ſeroſum, inquit facit, ac calefacit.

5 Propterea omninò reijcienda eſt diſtinctio illa Podagræ in calidem, & frigidam; omnis podagra eſt à cauſa calida, niſi frigidam appellare velimus eam, cuius cauſa minus calida eſt, minoriſque acrimoniæ particeps. reijcienda eſt quoque illa alia diſtinctio in podagram bilioſam, pituitoſam, ſanguineam, licet magni Viri eam afferant, vt Trallian. lib. 11. immò, & Gal. 10. de comp. med. ſecun. loc. cap. 2. niſi dicere velimus, omnem quidem podagram, tamquam à cauſa coniuncta à ſeroſitate calidà, ac nitroſa pendere; dici tamen poſſe, modò bilioſam, modò ſanguineam, modò pituitoſam, pro ratione humorum in corpore redundantium, qui ad affectos, ac dolentes articulos, vi doloris attracti confluunt, in alijs enim pituita, Podagra omnis à cauſa calida.

in

in alijs ſanguis, in alijs bilis redundat. ideò dolores podagricos cōſequuntur tumores, modò phlegmonoſi; modò eryſipelatoſi, modò oedematoſi, ac miſti ex his, in quibus modò vnus, modò alter prædominatur humor, quò totum corpus redundarit, irridet etiam Fernel. lib. 6. de part. morb. & ſymptom. cap. 18. illam podagræ diſtinctionem in calidam, & frigidam, in ſanguineam, bilioſam, melancolicam; quamuis malè ſtatuat (pace tanti Viri dictum ſit) omnem podagram eſſe frigidam, & à frigida pituità, vel ſeroſitate pendere.

6 Neque obſtat Pauli Ægin. ſententia, ſuprà propoſita, inſuetæ frigidæ potioni, frigidorumque ciborum eſui podagram tribuentis, nec Gal. aſſerentis opinio, ex niuis vſu, ſæpè in inſanabiles affectiones deduci articulos. hi enim Authores illud docere intendunt, cruditates inter antecedentes podagræ cauſas, non vltimum locum obtinere; vt Gal. ipſe lib. de ſuc. bonit. & vit. cap. vltimo expreſsè docet; quià verò, & inſuetæ frigidæ potiones, & frigidorum ciborum immodicus eſus, & niuis vſus, facilè cruditatibus præſtant occaſionem; ideò ad podagram excitandam iurè meritò dicuntur conferre; hinc tamen non ſequitur, podagrę cauſam non ſemper eſſe ſalſam, nitroſam, &

acrem;

acrem; cum etiam ſcabies, vt ſupra dicebamus; cap. 17. nu. 19. ſæpiſſimè à cruditatibus dependeat, & tamen non aliam cauſam coniunctam habet, quam excrementum calidum, acre, & mordax.

7 Ex cruditatibus, non ſemper frigida, & humida; ſed ſæpè etiam calida, & ignea excrementa proueniunt; ſiuè quià hæ qualitates excedentes in cibis, ſi minus rectè coquantur, remanēt etiam in humoribus, velutì ſi quis allia, & cæpas comedat, ac non benè concoquat, quid miri eſt, indè gigni ſanguinem, qui ſimul crudus dici poſſit, & acrimoniæ, ac mordacitatis ſit particeps? ſiuè quia ex cibis etiam boni ſucci, & nullas excedentes qualitates præſeferentibus diminuta concoctione geniti humores, quia non omnem à calore natiuo perfectionem receperunt, facilè computreſcant, & ex putredine aſcititiam quandam contrahant caliditatem, & acrimoniam: ſiuè etiam quia excedentes qualitates, quæ in temperatis etiam cibis, virtute formæ miſti repreſsæ latitabant; diſſoluta à calore natiuo miſtione, nec nouà forma, ſeù perfectione ob eius imbecillitatem omninò introducta, veluti exaltentur, & humores indè geniti, vt imperfectè concocti, crudi dicantur, & excedentibus etiam igneis qualitatibus

Cruda excrementa, interdum acria, & nitroſa.

bus

bus donentur, quibus partes corporis lædant, & exulcerent.

8 Hac de cauſa illi, quibus calor natiuus vegetus, ac robuſtus eſt, etiam ex prauis edulijs optimum ſanguinem gignunt; qui verò natiui caloris imbecillitate, ac paupertate premuntur, etiam ex optimis; & temperatiſſimis cibis prauos humores,& noxia excrementa colligunt. quam vis igitur cruditates inter antecedentes podagræ cauſas numerentur, & quæcunque cruditatibus præſtare poſſunt occaſionem, vt niuis immoderatus vſus, inſueta frigidæ potio, & ſimilia inter procatarcticas podagræ cauſas reponantur, hinc tamen inferri non poteſt, eiuſdem cauſam coniunctam, & immediatam non eſſe acrem, & nitroſam ſeroſitatem.

9 Hanc podagræ cauſam confirmant multæ Hipp. doctrinæ, & experimenta; fœminæ quià ſunt maribus frigidiores, & humidiores, minus podagrà laborant ex Hipp. 6. Aph. 29. hinc Eunuchi, quibus corporis habitum, teſtium abſciſſio effœminauit, & frigidiorem, humidioremque reddidit, ex eodem Hipp. 6. Aph. 28. podagrà non laborant. hinc pueri, quorum calor non eſt nitroſus,& acer, ſed blandus, ac mitis ex eodem Hipp. ibidem Aph. 30. podagrici

grici non fiunt, propterea vinum, & Venus podagræ parentes exiſtimantur, quia totam maſſam ſanguineam aſcititio calore exurunt, & nitroſis inficiunt inquinamentis, ac ferè virulentam reddunt.

10 Ex his facilè iam concludere poſſe mihi videor, & ea omnia, quæ ſeri acrimoniam attemperare, ac veluti dulcorare queant, meritò antipodagrica eſſe iudicanda, & ipſum aquæ Salmacinæ potum in primis, ſi rectè, ac prudenter vſurpetur, ità vt cruditatibus non præſtet anſam, podagricis non mediocri futurum emolumento. Videbitur fortaſsè alicui, nimis durum, ac periculoſum, hominibus ſeroſa fluxione tentatis, tam copioſum aquæ potum concedere; verum non eſt hæc noua Praxis, ſed antiquioribus etiam Medicis cognita, & conſueta. qui id non credit, adeat Corn. Celſ. lib. 4. cap. vltimo, vbi podagricos lacte purgandos eſſe, inueniet, cum tamen lac purgationi non ſit idoneum, niſi copiosè, & ad plures eminas bibatur. quidam, inquit ibi Celſ. cum aſinimo lacte epoto ſe eluiſſent: in perpetuum hoc malum euaſerunt. adeat etiam Hipp. lib. de Affect. num. 32. vbi podagræ obnoxios ſero, ac lacte curat, ad ſanguinis nimirum acredinem, ac nitroſitatem dulcorandam; quod Lac podagricis vtile

aquà Salmacinà nos conſequi poſſumus.

11 Inueherer hic in multorum recentiorum Praxim, qui non ſero, & lacte, ſed decoctionibus Guaiaci, & Salſæ paril. podagricis opitulari conantur, pro refrigerante, & humectante præſidio, quo vtebatur Hipp. calefacientia, & exiccantia vſurpantes; poſſemque eos Gal. etiam doctrinà redarguere, qui lib. 6. de ſan. tuen. cap. 11. exiccantium vſu podagricis interdicit; quod non modò totum corpus, vt ipſe ait, ſed etiam pedes ipſos, & manus quoque, ſi prius malè habebant, in peſſimum ſtatum ſiccando perducant. verum quia negare non poſſum, euacuationem per ſudorem, quam mouere ſolent Guaiacum, Salſa, cæteraque id genus præſidia, eſſe podagricis vtiliſſima; cum totum corpus ab acri illa ſeroſitate vendicent, quam proximam ſtatuimus podagræ cauſam, ſi à ſanguine ſecreta in articulos deponatur; ſiccantiū, ac ſudorificorum Medicamentorum vſum in podagricis non damno, ijs tamen exceptis, quibus corporis gracilitas, ac macies impedimento eſt; de quibus loquitur Gal. loc. cit. de ſan. tuen. vbi craſſis alioquì, ac pinguibus, carnoſoque præditis corporis habitu, ſi podagræ ſint obnoxij, medicamenta, victumque, quæ extenuare poſſint, præſcribit.

Sudor podagricis vtilis.

Por-

12 Porrò podagræ periodicos recurſus præcauemus, ſi vel latentem ipſius cauſam, ptiuſquam articulos inuadat, è corpore tollamus; vel ſi ità corrigamus, eiuſque acrimoniam ità temperemus, vt Naturæ non amplius infeſta, ad articulos non expellatur; vel etiam expulſa excitandis doloribus non ſit idonea, deſumitur hæc doctrina ex Hipp. lib. de vet. med. num. 34. vbi enumeratis quibuſdam ſymptomatibus ab æruginosà bile illatis; ea non ſedari monet, donec bilis non euacuetur, vel certè corrigatur, ac caſtigetur. *non ſedantur*, inquit, *Hæc, priuſquam eadem bilis expurgetur, & proſternatur, & alijs permiſceatur*. Venæ ſectio, purgatio, decoctiones ſudoriferæ, quia podagræ cauſam euacuant à podagrà præſeruant; aqua verò Salmacina partim etiam, quia euacuat, cum ſeceſſum, vrinaſque moueat; præcipuè, quia ſeri acrimoniam proſternit, ac corrigit, antipodagrica poteſt appellari. Podagræ præcautio.

13 Si quis quærat, vtra harum viarum ſit tutior; an ſudorificis decoctionibus calefacientibus, & exiccantibus; vel frigidis, & humidis attemperantibus, melius podagricis conſulatur. Equidem nimis contumelioſus mihi viderer in aquam Salmacinam, ſi illi hac in re Guaiaci, Salſæque decocta præponerem; hæc

enim exiccantia,ſi gracili,ac arido corpori exhibeantur, penitus noxia ſunt, vt ſuprà notauimus ex Gal.6. de ſan. tuen. cap. 11. ſi carnoſo, ac boni habitus, poſſunt quidem prodeſſe,non tamen tutiſſima ſunt, quià licet multum morboſæ ſeroſitatis euacuent; quod tamen relinquunt, acrius, nitroſiuſque reddunt, ac ſæpè, (vt Gal.verbis vtar primo ac Glauc. c.9. aquarum mineralium balnea damnantis in curatione tertianæ exquiſitæ) plus qualitate nocent, quam euacuationibus iuuant, aqua verò Salmacina gracilibus, & excarnibus vnicum eſt prçſidium;carnoſis prudenter exhibita prodeſt, aut ſaltem non nocet.

14 Quadrat hic doctrina Gal. 12. Meth. med.cap.8. quæ hactenus dicta mirificè confirmat. agens ibi Gal.de doloribus, & eorum ſedationibus, varijſquè propoſitis dolorum cauſis, ijſque reſpondentibus curationibus; cum docuerit, dolores à flatu, & ab impactis humoribus per calida digerentia, atque extenuantia curari, immediatè ſubdit, ſi verò mordens humor eſt, qui affligit,aduerſiſſima huic ſunt, quæ extenuant, & calefaciunt. cum igitur ſemper mordens ſit podagræ cauſa, tutius frigidis, & humidis attemperantibus, quam calefacientibus,& exiccantibus tractabitur. Tutius inquam

aquà

aquà Salmacinâ, quam Guaiaci, ſimiliumque decoctionibus; quæ licet euacuando proſint, alterando tamen nocent.

15 Non poſſum hic præterire pulcherrimam, ac verè diuinam Hipp. doctrinam lib. de Vet.med. nu.31. vbi agens Hipp. de acrium humorum fluxionibus, quales ſunt fluxiones podagricę, illarumque curationem breuiſſimis, ac grauiſſimis verbis innuens; *reliquæ omnes*, inquit, *fluxiones, quas propter humorum acrimonias, & intemperantias ego fieri ſentio, reſtituuntur, & curantur, vbi temperatæ fuerint, & concoctæ*. nota, non ait Hipp. vbi euacuatæ fuerint, ſed vbi temperatæ fuerint, & concoctæ, aurea ſanè ſententia, quæ ſi Medicorum mentibus inſcriberetur, non tot intempeſtiuis, & inutilibus euacuationibus ſollicitarentur ij, qui fluxionibus obnoxij, concoquentibus potius, & attemperantibus poſtulant curari. non denegetur igitur aquæ Salmacinæ laus præcauendi podagras, nec ab eà podagrici arceantur. Fluxiones potius cōcoctione, quam euacuatione curantur.

16 Fateor tamen, peculiari quadam animaduerſione ijs opus eſſe, nè in recto ipſius vſu delinquant, alioqui nullus erit eis expoſtulationi locus, ſi indè lædantur; non eos quidem admodum ſollicitos velim in corporis expurgatio- Rectus aquæ Salmacinæ vſus in podagris.

gatio-

gatione aquæ potui præmittendà, quam niſi corpus fuerit valdè cacochymum, neceſſariam non puto; nec in peculiari quadam ſeruandà victus ratione, nec in aquà ipſà, vel deiectorijs, vel diureticis alterandà, his enim in rebus ſeruandæ ſunt regulæ generales ſuprà traditæ; quod ſummoperè cauere debent podagrici, eſt, nè poſt aquæ potum nimis ſeroſus remaneat ſanguis, & nè multum Salmacinæ in venis retineatur; ideò pauciores dies, quam alij potare debent; & ſi qui elapſo potionis tempore hydragogo aliquo opus habent, vt ſi quid aquæ retentum fuerit, excernatur; eo opus habent podagrici, vt qui maximè; ſi enim ex aquæ reliquijs præter alia mala, articulorum etiam dolores, ijs quoque qui arthritidi non ſunt obnoxij, vt ſup. cap. 11. num. 13. docuimus, aliquandò ſuperueniunt, quanto magis id timendum erit ijs, qui podagrà ſolent corripi, & quorum in ſanguine podagræ ſeminaria latent? egent Salmacinà podagrici, vt ſeri acrimoniam temperent, non vt eiuſdem quantitatem adaugeant; ideò cum tot dies aquam potarint, quot ſeri acrimoniæ, ac nitroſitati remittendæ videantur eſſe ſatis, ſi quid ob aquæ copiam, illius quantitati additum ſuſpicemur, leuibus hydragogis educendum, vt aquæ beneficio, ſinè de-

tri-

trimento fruantur, eorumque ſanguis dulciori quidem, non tamen copioſiori diluatur ſero, quæ maxima erit à podagricis doloribus præſeruatio.

17 Quæret hìc aliquis, num aqua Salmacina pro potu inter comedendum, loco vini, vel ſimul cum vino bibita poſſit aliquid aduerſus podagram. Profectò, ſi penitus omiſſo vino ſola Salmacina potetur, omninò plurimum poſſe credenda eſt, ſin minus propriâ, certè communi aquæ prærogatiuâ, cum nihil magis à podagra præſeruet, quam vini abſtinentia, & aquæ potus, idque multi podagrici experti ſunt, vt Medicus ille *Venetus*, de quo Trincauell. lib. 12 de rat. cur. partic. hum. corp. aff. cap. 2. & Vidua illa *Hiſpana*, de quà Solenand. ſect. 5. conſil. 1. ſi verò ſimul cum vino miſceatur, an aliquid amplius valeat contrà podagram, quam aqua ſimplex, vix audeo quicquam affirmare. eam quidem hoc modo vſurpatam probaui ſuprà cap. 15. num. 19. ad præcauendos renum lapillos, propterea quod magis, quam aqua ſimplex arenulas cum vrinis ducat; an acriores etiam ſeri partes magis, quam aqua ſimplex ad veſicam trahat, manifeſta ſigna non habeo. probabiliſſimum tamen eſt, tum quià facilius, quam aqua ſimplex mingitur, ac ſecedit; tum

quià

quià ob admiſtam ſulphureorum ſpirituum aeream quandam pinguedinem, molle potius, vt ità dicam, quam aſperum, dulce potius, quam nitroſum, ſerum videtur poſſe gignere, etiam hoc modo vſurpatam podagricis profuturam; conſulenda tamen hac in re eſt experientia, quam facilè ſument podagræ obnoxij, cum ab aquà Salmacinà potus loco ſimul cum vino bibità, ſin minus vtilitatis quicquam accipere, certè detrimenti nihil formidare poſſint.

18 Ex his, quæ hactenus de quinque allatis morborum generibus dixi, ſatis conſtare mihi videtur, & de alijs morbis, quibus vtilis, quibus inutilis, aut etiam noxia futura ſit aquà Salmacinà; quæque tam vniuerſim, quam ſpeciatim in eius recto vſu ſint ſeruanda. hìc igitur huic operi finem imponerem, niſi morboſæ quædam me reuocarent diſpoſitiones, quæ cũ morbi non ſint, morborum tamen ſolent eſſe præuiæ, & æſtiuis pręſertim temporibus, quando aquæ Salmacinę frequens eſt vſus, infeſtant. Querũtur alij per æſtatem de moleſtà ſiti; alij de cibi deiectà appetentia, hos vigiliæ perennes torquent; illos ventris durities vexat; cum alioqui rectè valeant, & negocijs vacent. num iſtis aquà Salmacinà prodeſſe poſſit, ſupereſt inquirendum.

An

An aqua Salmacina conferre poſsit ſiticuloſis. Cap. XIX.

1 NON eſt hìc ſermo de eà ſiti, quæ manifeſtos quoſdã morbos inſequitur, vt eſt ſitis febricitantium, hydropicorum, Nephriticorum, & ſimilium; ſed de ſiti, quæ intrà limites ſanitatis, æſtiuo præſertim tempore, plurimos vexare ſolet; ſunt quædam corpora, quæ licet, nec decumbant, nec ſenſibiliter ægrotent, ità vt gerendis negotijs cogantur abſtinere, morboſè tamen ſiti (quæcunque ſit cauſa) torquentur. de eà cum occurrentibus Medicis ſemper conqueruntur; eos conſulunt, an largè poſſint bibere ſinè detrimento; ſe ferendo non eſſe, acriter dolent, de hac ſiti quærimus, vtrum poſſit largo aquæ Salmacinæ potu ſalubriter extingui.

2 Parti negatiuæ fauere videtur Hipp. lib. de rat. vict. in acut. num. 30. vbi ſummoperè damnat aquæ potum in morbis, & naturis bilioſis, ac ſiticuloſis; *aqua* inquiens, *non ſedat ſitim, ſed exacerbat, eſt enim naturæ bilioſæ bilioſa, ac præcordio mala, immò peſsima ſit, ac bilioſiſsima*. Idem Hipp. lib. de intern. affect. n. 25.

ob aquam à ſitientibus æſtiuo tempore largè potam, frequenter excitari hydropes, ſcribit. *Aqua intercutem*, inquit, *ex his fit; cum æſtatis tempore ſiti vexatus, aquam multam biberis* quis igitur vt à ſitis moleſtiâ liberetur, tam grauis, & difficilis morbi periculum ſubeat, in quem ſi fortè incidat, adeò à ſiti non euadit, vt longè maiori, ardentiorique emancipetur? quot ingenti ſiti coacti, cum largo frigidæ potu ſeſe expleſſent, in acutos, & læthales morbos inciderunt?

3 De Valerio Cordo Viro docto, ac de re-medicâ optimè merito narrat Foreſt. lib. primo obſer. 13. in ſchol. cum Romam iter haberet, & vrgente ſiti aquam gelidam copiosè bibiſſet, febre ardente correptum, paucis poſt diebus Romæ obijſſe, idem infortunium cuidam iuueni contigiſſe refert Amat. Luſit. cent. 2. idemque narrat etiam Beniuen. de abdit. morb. & ſanat. cauſ. cap. 16. & ſanè ſimiles caſus quotidiè videmus, ac proximè ſuperiori æſtate in hac ipsâ Ciuitate obſeruauimus, laicum quendam Ordinis Prædicatorum, cum totâ die inexornando Diui Dominici Templo, ob imminentem feſtam diem ſanctiſſimo Patriarchæ ſacrâ, multum laborauiſſet, ac inſudaſſet; veſpere verò largè frigidam, ſeù etiam vinum niue re-

fri-

ſrigeratum, affatim bibiſſet; non ità multo poſt atrociſſimis ventris doloribus correptum, intrà paucas horas, iuuenem aliqui ſaniſſimum, ac robuſtiſſimum, exceſſiſſe è vità; vt non immeritò Corn. Celſ. lib. 1. cap. 3. ſudanti ex labore, ac ſitienti, frigidam potionem perniciosiſsimam eſſe, dixerit, & Dioſcor. lib. 6. cap. 33. inter implicia venena repoſuerit etiam aquam frigidam vrgente ſiti poſt balnea, vel curſus, & valida exercitia bibitam.

4 Hæ tamen rationes, & authoritates cautos quidem nos reddere debent in propinandà aquà Salmacinà ſiticuloſis corporibus; non tamen ab eius vſu penitus deterrere, cum non ſint tanti momenti, vt nos cogant affirmare, ſitim non eſſe potu extinguendam: arefactis corporibus aquam non ſubuenire; ſiti enectos frigidà potione non recreari, totà æſtate hìc ad ſedandam præcipuè ſitim frequentiſsimus eſt Salmacinæ vſus, experiunturque ferè omnes, qui eam bibunt, mirificè ſitim extinguere ſinè vllo detrimento; tam manifeſtæ experientiæ contradicere, amentiæ eſſet; præſertim cum validiſsimæ etiam accedant rationes. Salmacina prodeſt ſiticuloſis.

5 Sitis enim, quæ æſtiuis temporibus, & ardente ſirio intrà limites ſanitatis plurimos vexat, potiſsimum proficiſcitur ab ipsà ambien-

tis caliditate, non ſolum os ſuperius ventriculi vbi propriè materialiter excitatur ſitis, ſed vniuerſum etiam corpus excalefaciente, & exiccante; propterea Hipp. lib. de ſalub. diæta nu. 1. æſtate potu vtendum eſſe aquoſo, ac multo præcipit, redditque huius præcepti rationem, inquiens; vt frigidum ſit corpus, & mollè, tempus enim calidum eſt, & ſiccum, & facit corpora æſtuoſa, ac ſquallida. modò ad has intemperies corrigendas, & ſitim indè prouenientem ſedandam, quis præſtantius auxilium excogitare poterit aquâ Salmacinâ, quæ largè humectare; & abundè refrigerare, non ſolum os ventriculi, ſed & corpus vniuerſum poteſt ſinè noxa?

6 Nec ſanè contemnenda eſt huiuſmodi ſitis, quam calor affert æſtiuus, nec obſtinato animo toleranda, quicquid dicant multi Medici, cum non ſolum morborum poſsit eſſe in causà, ſed ipſius etiam mortis. non mihi hac in re, ſed Hipp. Galenoque habeatur fides. Hipp. lib. de rat. vict. in acut. num. 34. agens de febre ardente, docenſque illius cauſam; *fit*, inquit, *Febris ardens, cum reſiccatæ venulæ horâ æſtiuâ, acres, ac biliosos ſeroſos humores in ſe ipſas attraxerint*; & paulò poſt, *fit autem plerumque* ſubdit, *& ex longo itinere, & longâ ſiti, cum reſiccatæ venulæ*

Sitis interdum morborum cauſa.

nulæ acres, ac calidas fluxiones in ſe ipſas attraxerint. Gal. 1. de ſympt. cauſ. cap. 7. inter alios, quos ex nimia ſiti obijſſe commemorat, reponit quendam, qui ſitim pertinacitar ſuſtinere, ſibi imperauerat. ideò huic ſiti non immeritò medetur Hipp. lib. de ſalub. diætà num. 13. *dum quoſcumque* inquit, *ſitis corripuerit, his, & cibi, & labores detrahendi ſunt, & vinum bibant aquoſum, & quam frigidiſsimum*. diſcamus ab hoc Hipp. tex. ſiticuloſis opem ferrè, non quidem ſuadentes ridiculè, & perniciosè tolerantiam, & potus abſtinentiam; ſed cibum detrahentes, cum paucus cibus ex eod. Hipp. 6. Epid. ſect. 3. ſinè laſſitudine ſit, ac ſinè ſiti, laborem etiam minuentes, cum labor ex eod. 2. de diætà num. 24. ſiccet, calefaciatque, vinum propinantes admodum dilutum, & quam frigidiſſimum, & præterea aquà Salmacinà vtentes, quæ ſaltem ob copiam, quà ſumitur, multò magis, quam aquoſum vinum humectando, ac refrigerando, poteſt ardenti, moleſtæque ſiti ſuccurrere. Siticuloſis quomodò medetur Hipp.

7 Nec argumenta ſuprà initio huius cap. num. 2. & 3. in contrarium adducta quicquam probant. dum enim Hipp. lib. de rat. vict. in acut. num. 30. aquç potu interdicit bilioſis, propterea quod facilè aqua vertatur in bilem, & ſi-

tim

tim exacerbet, non extinguat, loquitur, vt ibi videre eſt, de aquà ſimplici per morbos acutos potus loco, vt fit, modicè vſurpatà, vide igitur quam diſtet à caſu noſtro, qui loquimur de aquà minerali intrà limites ſecundæ valetudinis, Medicaměti loco largiſſimè ſumptà, illa ob modicam quantitarem, quà bibitur, nihil miri eſt, ſi in corpore plurimà bile abundante, & acuta febre æſtuante, in bilem vertatur, & augendo cauſam ſitis, ipſam quoque ſitim adaugeat. hæc verò cum copioſiſſimè pota in corpore à bonà valetudine non penitus elapſo, nec febrilem calorem, nec ingentem bilis copiam inueniat, adeò in bilem non vertitur, vt potius prçexiſtentem in corpore bilem diluat, & veluti aqueam reddat; tranſmutatio enim fit in prædominans ex Ariſt. 1. de Gen. & cor. tex. 88.

8 Quod autem plurimis largus frigidç potus poſt labores, & ſudore adhuc corpore perfuſo, magnorum morborum, ac ſæpè etiam mortis fuerit occaſio, vt Valerio Cordo contigiſſe, narrat Foreſt; & alijs alij, id vltrò ſanè concedimus; eademque detrimenta ſequi poſſe ex aquà Salmacinà, non negamus, ſi quis poſt magnos labores, totius corporis membris æſtuantibus, nec abſterſo quidem ſudore, ingentes illius calices ingurgitauerit: verum id malo vſui,

non

non aquæ vitio vertendum eſt, quæ ſi rectà ratione potetur, poſt corporis quietem, vel leue exercitium, non modò nullo ſudore manante corpore, ſed nè à labore quidem incaleſcente, nil detrimenti afferre poteſt. propterea ex labore ſudanti, non autem ſimpliciter ſitienti, frigidam potionem pernicioſiſsimam eſſe, monet Celſ. & Dioſcor. non ſimpliciter aquam frigidam inter venena reponit, ſed poſt balnea, curſus, & valida exercitia epotam.

9 Sed quid dicemus ad Hipp. tex. ex lib. de inter. Affect. vbi aquam æſtiuo tempore à ſitientibus largè potam, frequenter hydropem, ſcribit, excitare? non poſſumus ſanè recurrere ad ſudorem, cum illius non meminerit Hipp. nec aſſerere, eum loqui de ſiti ab exercitijs, & laboribus excitata, nè vim textui inferamus; cum probabiliſsimum ſit, Hipp. loqui de ſiti, à ſolo calore æſtiuo inducta, de quà, & nos ſermonem habemus, & ad quam ſedandam, vel minuendam aquæ Salmacinæ vires extollimus, fateor igitur doctrinam Hipp tex. cit. metum aliquem nobis incutere debere circà Salmacinæ vſum, immò, & aliarum etiam aquarum, quæ Salmacinæ inſtar in magnà copià ſumuntur, cum non præter rationem ſit ſequuturi hydropis timor, ſi cum ſe quiſpiam ad ſatietatem, & vltrà, aquà exple-

expleuerit, eam, neque per aluum, neqne per vomitum, neque per vrinas, neque per ſudorem, ſaltem exparte reſtituat. idcircò adſtricta quædam corpora, & ad hydropem prona, quibus venæ meſeraicæ ſunt obſtructæ, vel iecur, aut lien craſsis humoribus infarcta, ab hoc generoſo præſidio abſtineant; cum ſitis, quæ ab obſtructionibus proficiſcitur, largo aquæ potu, potius augeatur, quam ſedetur, quod ſi huiuſmodi corporibus fuerit aqua per imprudentiã propinata, nec exeat, ſed intus fluctuans in hypocondrijs præcipuè grauitatem, & dolorem pariat; non eſt cunctandum oportunis hydragogis, vel per vomitum, vel per ſeceſſum, eam educere, diureticis, ac ſudoriferis omiſsis, cum ob viarum obſtructiones ad corporis ambitum, & renes minus penetrare poſsit; hæc enim potius conueniunt, dum aqua diſtributa in venis ipſis poſt hepar retinetur.

Aquæ Salmacinæ retentio non ſemper morboſa.

10 Dixi, ſi in hyppocondrijs grauitatem, vel dolorem pariat, vt nimirum hoc ſigno euidenter cognoſcamus aquæ retentionem morboſam eſſe, & à viarum adſtrictione proficiſci. ſi aqua enim retineri videatur, nec illa ſymptomata pariat, non eſt ſtatim ad educentia veniendum; cum ſæpiſsimè in corporibus ſinè obſtructione ſiticuloſis, viſcera ab æſtiuo calore

are-

areſacta, ac ſquallida, vt priſtinam humiditatem recuperent, aquam imbibant, ac retineant; propterea primis diebus, vt ſuprà cap. 11.n.10. diximus, aqua minus redditur, donec ſatis humectatis partibus, ſequentibus poſteà diebus, & per aluum, & per vrinam abundè refunditur.

11 Illud pro coronide huius cap. addo, antè aquæ Salmacinæ potum, extinguendæ ſitis causâ vſurpatum, non eſt neceſſe præmittere corporis expurgationem; cum corpora, in quibus ineſt caloris copia, & humoris inopia, quæ ſunt proximæ ſitis cauſæ ex Gal. 1. ſimpl. cap. 13. non ferant purgationes, idem videre eſt apud Hipp. de rat. vict. in acut. num. 64. vbi in catalogo eorum, qui non ſunt purgandi, reponit etiam ſiticuloſos. quod ſi is, qui ſiti vexatur, & Salmacinam potaturus eſt, admodum bilioſus ſit, & bilem non mediocriter coaceruauerit, huic vt primà, vel ſecundà etiam die ad ſummum, aliquid cholagogi primo aquę cyatho admiſceat, concedi poteſt, quo aquæ aliqua vis bilis per ſeceſſum eductiua comunicetur; cum alioqui ad extinguendam ſitim, optabilius ſit aquam per veſicam excerni, quam per ſeceſſum. Rectus aquę Salmacinæ vſus in ſiticuloſis.

Vtrum aqua Salmacina æſtiuas cibi inappetentias corrigere poſsit. Cap XX.

1 NON modò ſiticuloſos, ſed, & cibi malè appetentes, ſæpè nos facit æſtiua caliditas; immò plerumque quãtum addit potus appetitui, tantumdem detrahit appetitui ciborum, neque id miri quicquam eſt, ſi aſſentiamur Ariſ. definienti 2. de Animà tex. 28. famem appetitum calidi, & ſicci; ſitim verò appetitum frigidi, & humidi; neceſſe enim eſt, creſcente indigentia, & cupiditate frigidi, & humidi, decreſcere indigentiam, & cupiditatem calidi, & ſicci; cum fieri non poſſit, vt ventriculus ità ſe habeat, vt ſimul appetitu naturali feratur in calidum, & frigidũ, in humidum, & ſiccum. ideò ſi æſtiuis temporibus cibi faſtidium ſiti coniungatur; propterea quod ab eadem causà ortum ducit vtrumque ſymptoma, ijſdem etiam præſidijs ſummouetur; cum igitur ſuprà probauerimus aquæ Salmacinæ potum ſiticuloſis opitulari, eamque ſitim, quam infert æſtiua caliditas, mirificè extinguere; nemo eſt, qui non videat, eandem aquam, deiectum cibi appetitum erigere, &

Fames quid apud Ariſ.

quan-

quantum ſiti detrahit, tantumdem addere eſuriei, corrigendo enim calidam, & ſiccam ventriculi intemperiem, ſimul frigidi, & humidi indigentiam implet, & ſitim ſedat; calidi verò, & ſicci appetitum, quæ fames eſt, ex Ariſ. excitat.

2 Maior difficultas eſt de illa cibi inappetentia, quæ ſitim comitem non habet; non pauci ſolent æſtate cibum faſtidire, nec potum amare; ad alimenta tamquam ad medicamenta accedunt, non virtute temperantiæ, ſed vitio ventriculi, munus ſuum malè obeuntis; non tamen propterea potu auidius explentur, cum æquè ſiti careant, ac fame. his vtrum aqua Salmacina ſalubriter propinari poſſit, anceps ſum.

3 Non ignoro, Aquam voracem appellari ab Hipp. 6. Epid. ſect. 4. propterea quod homines voraces facit, vt exponit Mercurial. lib. 3. ſuæ Praxis cap. 7. ſcio plura nos appetere ex Gal. 2. Aph. 20. cum os ventriculi frigidiorem habuerit temperaturam. non me latet, aquam Salmacinam non ſolum ventriculum refrigerare poſſe, ſed ſuâ etiam mole, ac copià diſtendere, ac maximè cauum facere, quæ res ad excitandam famem plurimum conducit. vt ſcribit Eraſiſtr. apud Gellium lib. 16. cap. 3. qui docet, ciborum appetitum fieri non ſolum, quià

Ventriculi dilatatio multum facit ad bonum cibi appetitum

ventriculus, & inteſtina inaniantur, ſed etiam, quia vacua permaneant; propterea vbi homines multum ieiunant, inquit Eraſiſtr. quia latera inteſtinorum, & ventriculi concidunt,& cauitates coarctantur, tantò magis cibi appetentiam amittunt. additque conſueuiſſe Scythas, cum ieiunijs vacabant, ſibi faſcijs arctiſſimè ſtomachum, & inteſtina ſtringere, vt eorum cauitates anguſtiores fierent, & ſic minus fame cruciarentur.

4 Huius ventriculi diſtentionis, & intumeſcentiæ meminit Hipp. lib. de rat. vict. in acut.num.15. vbi vt oſtendat, quantum detrimenti nobis afferant mutationes, vtitur exemplo eorum; qui prandium præter conſuetudinem ſumunt, vel omittunt, quorum ijs, qui prandere non ſunt aſſueti, ſi pranſi fuerint, multa ſymptomata ſuperuenire memorat, non ſolum quià cogitur, inquit, ventriculus concoquere, quando non ſolebat, ſed etiam, quià præter morem cogitur intumeſcere, ac diſtendi. & ſanè ventriculi dilatationem multi momenti eſſe ad excitandam famem exemplo poſſunt eſſe fortunæ bonis affluentes Viri,quorum nonnulli plus eſuriunt, & comedunt, quam quatuor infimæ ſortis homines; non quidem quià calidum innatum fortius habeant, cum

magis

magis valetudinarij viuant; non quià eorum corpora magis reſoluantur, cum minus laborent, ac magis ociosè degant; non quia eorum cibi minus nutriant, cum contrà validi ſint, ac minimè excrementitij, ſed ſolum (nec aliud cauſæ inuenio,) quia eorum ventriculus plurimæ dilatationi, ac diſtentioni ſit aſſuetus, quę cum ita ſe habeant, aquæ Salmacinæ potus, inquiet quiſpiam, ventriculum refrigerando, ac diſtendendo, retuſum cibi appetitum acuere poſſe videtur; ſiuè ſitiat is, qui à cibis abſtinet, ſiuè vnà cum cibis, etiam potum faſtidiat, aut certè non appetat.

5 Verum enim verò, licet allatæ rationes non leues ſint, adhuc tamen anceps ſum in hac re; nec audeo affirmare, Salmacinam Aquam, etiam ijs, qui æſtate ſinè ſiti cibum faſtidiunt, profuturam eſſe; immò in oppoſitam ſententiam trahi me ſentio, vel inuitum, qui huiuſmodi etiam virtute hanc aquam donatam velim, etenim cum huiuſmodi cibi inappetentia referri non poſſit in calidam, & ſiccam ventriculi intemperiem, vt palam facit carentia ſitis, vel tribuenda eſt cuidam ſtupori, ſeù ſemiparalyſi neruorum ſextæ coniugationis, ventriculi ori ſuperno, vbi fames, ſitiſque excitatur, ſenſum tribuentium; quæ affectio hauſtu potius vini ge-

Salmacina non curat cibi inappetentias ſinè ſiti.

ni generoſi, vel etiam abſinthitis, aut in quo fruſtulum Rhapontici infuſum fuerit, & ſimilibus curari poſtulat, quam aquâ Salmacinâ, vel tribuenda eſt aqueis cruditatibus, ventriculi tunicis adhærentibus; ventres enim hyeme, & vere calidiſſimi ſunt ex Hipp. 1. Aph. 15. ſecus verò æſtate, propterea hoc tempore facilè cruditatibus abundant, cui affectioni tutius calefacientibus, incidentibuſque, vt oximel. Hyerà, Aromat. roſ. & ſimilibus occurrimus, quam aquâ Salmacinâ, vel tribuenda eſt, ſolæ, ac ſimplici caloris natiui imbecillitati, quam æſtiua ambientis caliditas, nimiâ pororum dilatatione, ac ſpirituum reſolutione ſolet inferre, quæ calidi innati penuria, licet progreſſu temporis, niſi quis rectâ victus ratione ſibi proſpiciat, cruditatum ſit ferax; tamen, & antè cruditatum prouentum, cibi potuſque appetentiæ neceſſariò officit; ei autem mederi debemus refrigerantibus externis corpori circumfuſis, quæ ambientis caliditatem temperando, innatum calorem recolligere, atque reficere poſſunt; non autem refrigerantibus internis, ore ſumptis, quæ languenti calido vitali internecionem minantur; frigidarum regionum accolas edaces eſſe notat Hipp. lib. de Aer. Aq. & loc. num. 6. iccircò pro aquæ Salmacinæ potu frigidior aer

iſtis

iſtis inſpirandus, ad refrigerantia balnea confugiendum, & ſi aquà Salmacinà libet vti, eà pro balneo potius, quam pro potu vſurpanda. ſcio alias multas poſſe eſſe cauſas inappetentiæ, ſed cæteris omiſſis, quæ æſtate frequentius ſolent occurrere proſequutus ſum.

6 Cenſeo ad ſummam, vt rem paucis perſtringam, cibi æſtate deiectum appetitum, qui ſitim comitem habet, quià calidam, & ſiccam ventriculi intemperiem ſequitur, aquæ Salmacinæ potu tutò, & iucundè erigi; eum verò, cui ſitis non adiungitur, quià vel à caloris natiui imbecillitate, vel à cruditatum copià, vel ab obtuſo oris ventriculi ſenſu proficiſcitur, aut nullo modò, aut non niſi magno cum periculo aquæ Salmacinæ potu curari; Salmacinæ inquã potu, nam ſi quis ex ea balneum parare velit, tantò efficacius habebit ex aquà ſimplici parato, quantò admiſti ſpiritus ſulphurei laxantem aquæ humiditatem corrigunt, ac aquam magis corroborantem reddunt.

7 Appellat quidem Hipp. (vt rationibus comunibus allatis reſpondeam) aquam voracem ab effectu, quia homines benè comedentes faciat, verum propoſitio illa, vt præclarè exponit Vallеſ. habet quidem locum in ſanis, ex quibus abſtemij, vt oſtendit experientia, multò lar- **Aqua vorax quomodò intel ligatur.**

tò lar-

tò largius comedunt, quam vinoſi; tum quià aqua ventriculum refrigerat, tum quià nihil prorſus nutrit, ac propterea non ità famem ſedat, ſicuti vinum, quod calefacit, & reficit; tum etiam (quæ ratio omiſſa fuit à Valleſ.) quia vinoſi multum bibunt, abſtemij parum, fieri autem non poteſt, inquit Hipp. lib. de Aer. Aq. & loc. num. 6. *vt quis ſimul multum edat, ac bibat.* non tamẽ propterea ad partem Medicinæ Therapeuticam ſemper trahi poteſt, ità, vt ea propoſitione præcipiat Hipp. cibum faſtidientibus ægrotis, aut proximè accedentibus, vt ægrotent, de quibus hìc nobis ſermo eſt, aquam propinandam eſſe, vt famem recuperẽt, licet enim id nonnullis proficuum ſit, vt ijs, quos intemperies calida, & ſicca ventriculi, cibi malè appetentes, ac ſiticuloſos facit, dequibus paulò antè diximus; plerumque tamen oppoſitum cõtingit, cum laborantibus, ac ſtomacho imbecillibus vinoſa qualitas pro condimento ſit, & vini moderatus potus non modò ciborum appetentiam excitet, ſed & eorundem concoctioni, diſtributionique conducat.

8 Eodem modo non falſa docet Gal. 2. Aph. com. 20. dum aſſerit, plura nos appetere, cum ventriculi os frigidiorem ſortitur temperaturam, verum; vt rectè indè colligimus, ca-

lidam

lidam ventriculi intemperiem ciborum appetitui eſſe impedimento, ità malè inferimus, eam dumtaxat eſſe cauſam, cùr cibos faſtidiamus, propterea ex illo Gal. tex. probare quidem poſſumus, aquam Salmacinam profuturam, qui ob calidiorem oris ventriculi intemperiem à cibis abſtinent; non tamen omnibus omnino, & ex quacunque cauſà cibos auerſantibus eſſe propinandam.

9 Quod aqua Salmacina ventriculum mole ſuà diſtendendo, ac dilatando largiori comeſtioni idoneos nos faciat, ac melius appetentes; vltrò etiam concedimus; nemo tamen ſanæ mentis iccircò ſentiet, eà vtendum eſſe; dum ex illius potu maiora impendent ventriculo mala, quam ſit bonum dilatationis; imbecillis caloris natiui ſuffocatio, maior cruditatum prouentus; oris ventriculi ſenſus extinctio, & ſimilia minimè contemnenda sunt, præ expetita ventriculi dilatatione. dum hæc timere potes, vt non immeritò plerumque timere potes in iis, qui per æſtatem ſinè illa ſiti, de deiecto ciborum appetitu conqueruntur, apagè Salmacinam, & præſidijs vtere tutioribus.

Vtrum aqua Salmacina pertinaces vigilias expugnare poſsit, & ſomnum conciliare. Cap. XXI.

1 SOMNVS, atque vigilia, vtraque ſi modum exceſſerit, malum, inquit Hipp. 2. Aph. 3. æſtate tamen rarò ſomnus, ſæpè vigiliæ excedunt. ex quibus ſi diuturniores fuerint, corporis gracilitas conſequitur, vultus pallor, oculorum cauitas, oris amaror, capitis dolor, vrinæ bilioſæ, virium omnium languor, immò, & acutæ febres, & deliria, & phrænitides, & mors ipſa proficiſcuntur. quià verò ægritudines (vt Cicer. verbis vtar 3. Tuſc.) ipſo trunco euerſo omnes elidendæ ſunt; naſcenti malo operæ pretium eſt occurrere, & vigilias ipſas, antèquam grauiora mala ſuccreſcant, expugnare.

Vigiliarũ nocuméta.

2 Nec fides adhibenda eorum fabulis, qui referunt, homines inuentos eſſe, qui non ſolum menſes, ſed & annos plures inſomnes ſimul, & ſani vixerint. vt tres integros annos vixiſſe Mœcenatem narrat Plin. lib. 7. natur. hiſt. cap. 51. & decennium vixiſſe Marium Nizzolium de humanioribus literis Virum optimè meritum,

ſcri-

ſcribit Heurnius lib. 1. de morb. cap. 16. niſi fortaſsè Mœcenati optimo, ac maximo literatorum Patrono, nimia cura muneribus afficiendi ſuos Poetas, ſomnum ademerit; Nizzolium verò, nimis attenta Ciceronis operum lectio, ac meditatio, decennalibus vigilijs damnarit.

3 His inquam fabulis credendum non eſt, præſertim cum Plinij fides omnibus nota ſit. Heurnius verò fateatur, ſe eſſe teſtem de auditu, vt Iuris Conſulti loquuntur, quod eſt idem, ac dicere, nulla fide dignum. ſcribit, ſibi id in Italia narratum fuiſſe, vir bonus, & ingenuus, ac non ità pridem in Italiam aducctus, nondum norat Italorum morem, exteris iocosè illudendi; ac multò minus mirarer, ſi Romæ ea verba ſibi data diceret. ſunt nugæ, ſomnus Animalium vitæ neceſſarius eſt, ac vigiliæ pertinaces, licet ſymptomata ſint, non autem morbi, ſæpè tamen adeo vrgent, vt totam ad ſe trahant curationem, & ab Hipp. lib. prænot. nu. 2. meritò reponantur inter ea ſymptomata, quæ vires maximè proſternunt.

4 Cum igitur (vt ad rem redeamus) æſtiuis temporibus facilè homines cæteroquin benè valentes, nec decumbentes, in infenſas vigilias incidant, vt præter experientiam, teſtatur etiam Hipp. 1. Aph. 15. vbi dum *ventres*, docet,

hyeme, & vere eſſe calidiſsimos, & ſomnos longiſsimos, clarè innuit, æſtate, & autumno ſomnos eſſe breuiſſimos, atque hæc tempora vigiliarum eſſe feraciſſima; quærimus, vtrùm Salmacinæ potu poſſint ab eà moleſtià, & grauioribus indè imminentibus malis vindicari.

Vigiliarũ cauſæ. 5 Porrò cum æſtiuæ vigiliæ ijs, qui nondum à totà ſanitatis latitudine ceciderunt, contingant; vel à calidà, & ſiccà totius corporis, aut ſaltem cerebri intemperie, ad quam anni tempus æſtiuum corpora diſpoſita facilè trahit. vel à quadam ſalſedine, ac nitroſitate humorum, acres, ac mordicantes vapores, inducendo ſomno minimè idoneos in cerebrum mittentium; vel certè à ſolo defectu eorum vaporum, quorum munus eſt, vt comunis Medicorum ſchola loquitur, neruorum poros obſtruere, & ſpirituum animalium à cerebro ad ſenſuum officinas tranſitum impedire; ego autem dicam cum Hipp. quorum munus eſt, quietem ſanguini facere, & proprià quadam vi, ſpiritus animales ſiſtere, ac ſopire. *quæ ſomnum faciunt*, inquit Hipp. lib. de Affect. num. 35. *ea quietem ſanguini exhibere oportet*; nulli dubium eſt, quin aquæ Salmacinæ potio æſtate vigilantibus mirum in modum prodeſſe poſſit, ac ſomnum conciliare.

Somni cauſa.

Nam

6 Nam ſi calida, ac ſicca, ſiuè totius corporis, ſiuè capitis intemperies ſomnum ablegarit, aqua Salmacina humectando, refrigerandoque reſtituit; ſi ſalſedo, ac nitroſitas humorum pertinaces pariat vigilias, aqua Salmacina eoſdem adæquando, ac dulcorando, ſomnum reuocat; ſi molles, blandi, atque hypnotici deſint vapores, aquà Salmacinà reuiuiſcunt, ſi Meto apud Hipp. 1. Epid. ægr. 7. *delirus, & inſomnis, capitis ex aquà lotionibus mentem ſimul, ac ſomnum recepit*; quantò magis recipiet is, qui aquam Salmacinam potarit, longè efficaciori, quam lotiones extrinſecæ, humectandi, refrigerandique vi præditam? ſi aquæ ſimplicis potus ſomnum conciliat, ex Gal. 2. de loc. Affect. cap. 9. quantò magis id præſtabit aqua Salmacina, quam admiſti ſpiritus ſulphurei, magis ad caput euaporabilem reddunt? Aqua Salmacina ſomnum conciliat.

7 Nec dicas, huiuſmodi ſpiritus aquæ humiditatem minuere, eiuſque vapores conciliando ſomno minus idoneos efficere, totum enim oppoſitum contingit, cum virtus narcotica in ſpiritu quodam ſulphureo reſideat, & opium ipſum narcoticorum primum, non ideò ſomnum accerſit, quià ſit ſummè frigidum, vt hactenus à comuni Medicorum ſcholà creditum eſt; cum eius impenſam caliditatem detegat, Virtus narcotica quid ſit.

ac verè ſenſatis rationibus probet Doringius tract.de op.ſect.2.ſed quià ſpiritu quodam ſulphureo conſtet, à proprietate, & occultà vi ſpiritus animales ſopiente, vt optimè ſentit Sennert.lib.1.ſuæ Prax. part.2.cap. 1. quæſt.1. Aqua igitur Salmacina non modò manifeſtis qualitatibus refrigerandi, & humectandi, humorum nitroſitates, & acrimonias temperandi; verum etiam occultà quadam vi, ſin minus narcoticà, certè hypnoticà, vigilijs immodicis aduerſatur. adeò vt ſi quiſpiam vigilijs infeſtatus eam ad plures libras, vt fieri ſolet, potare recuſet; ſed dumtaxat loco aquæ ſimplicis pro potu, ac diluendo vino inter comedendum vſurpet;adhuc non parum indè vtilitatis aduerſus vigilias ſibi polliceri poſſit.

8 Sed quià ſuppoſuimus, calidam intemperiem officere ſomno.obijciet aliquis Aph.15. ſect.1.de quo ſuprà facta eſt mentio, vbì oppoſitum videtur docere Hipp. dum *ventres* inquit, *hyeme, & vere calidiſsimi, ſomni longiſsimi*.ex quo inferet,aquæ Salmacinæ potum,quià ventris caliditatem minuit, etiam ſomnos breuiores facere. verum difficultas hæc facile ſoluitur,cum,vel tyronibus in Arte notũ ſit,Hipp. Aph.cit.loqui de calido innato, quod quantò fortius eſt,eò meliores edit operationes,& quod facit

facit ad rem noſtram, melius ciborum in ventriculo concoctionem operatur, vndè vapores dulces, ac blandi felicius in cerebrum attolluntur, ac ſomni ſaluberrimi proueniunt. nos autem ſuppoſuimus, caliditatem auctam inferre vigilias, non quidem natiuam, ſed aduentitiam, & præter naturalem, quam aquâ Salmacinâ conamur, vel imminuere, vel extinguere.

9 Immò, cum hæc extranea caliditas ferè ſemper ſiccitati iuncta, igni nimirum, non autem elemento ſtellarum reſpondens, non ſolum ſit cauſa, verum etiam vigiliarum effectus; perperam faciunt ij, qui vt nimijs vigilijs æſtate occurrant, vtuntur præcepto Gal. 6. Epid. ſect. 4. tex. 17. vbi docet Gal. ſe multis conciliaſſe ſomnum, longiores imperando vigilias; non ſecus, ac diuturnior inędia ſæpè eſuriẽtes reddat, quos cibi faſtidium vexabat. malè, inquam, æſtate vigilantibus hoc Gal. præcepto conſulitur; quià æſtiuæ vigiliæ non à prægreſſo longiori ſomno, vt ſæpè contingit hyeme ob noctium longitudinem, proficiſcuntur; ſed potius ab intemperie calidâ, & ſiccâ, quam diuturniores vigiliæ adaugent. propterea, qui æſtate noctu ſomnum capere non poſſunt, ſi interdiù etiã vigilare conentur, vt melius noctu dormiant, quod ſibi vult præceptum illud Gal. & quod communiter

Aeſtate interdiu dormiendum.

Me-

Medici omnes præcipiunt; adeò voti compotes non fiunt, vt pertinacioribus vigilijs infeſtentur. contrà ſi interdiù dulci ſopore allecti, manus dent, & oculos claudant, nocturnum ſomnum inuitant, ac melius noctu quieſcunt; quià à diurnis vigilijs minus reſiccantur.

10 Tota doctrina eſt ſummi Præceptoris Hipp. qui, non vt reliqui Medici, ſomnum diurnum ſemper, atque vbiquè deteſtatur; ſed æſtiuis vrgentibus caloribus concedit ijs, qui ad calidam, & ſiccam intemperiem ſunt proni, vt ſunt præcipuè ij, quos vigiliæ infeſtant. *confert*, inquit primò de diætà num. 38. *æſtate interdiù ſomno vti breui, & non multò, nè corpus ab anni tempore reſiccetur*. Ille etiam Hipp. tex. 6. Epid. ſect. 4. cui Gal. præceptum, de quo paulò antè diximus, innititur, & ex quo alij etiam deſumunt, vt ipſe etiam Valleſ. in com. (licet id non ſemper approbet) à longioribus vigilijs immodicas vigilias expugnari, & ſomnum accerſiri; ità interpretari poteſt, vt oppoſitum doceat, nimirum non à diurnis vigilijs, ſed à diurno ſomno, nocturnum ſomnum allici, atque inuitari.

Hipp. text. expoſitio.

11 *Somnus ſedentarius* (ſunt verba Hipp. eo loci) *rectorum nictatio*. hoc eſt, vt exponit Gal. loc. cit. & ex eo Valleſ. in com. qui adeò pertinaciter ſeſe vigilijs dant, vt eò vſque vigilent,

donec

donec præ laſſitudine, & imbecillitate, etiam ſtantes nictent, ac palpebras attollere nequeant; hi ſedentario, hoc eſt longo, ac profundo ſomno corripiuntur. ſic, quià nimium vigilarint, arctiſſimo perfruuntur ſomno non omninò ſanè reijcienda eſt hæc interpretatio; verũ aliam huic oppoſitam, æquè benè, ac facilè admittit tex. ille, ſi nimirum dicamus, ſomnus ſedentarius, rectorum nictatio, hoc eſt ſomnus, qui ſedendo fit, qualis eſt breuis ille, qui per æſtatem poſt prandium in meridie captari ſolet, adeò nocturnum ſomnum non impedit, neç homines vigiles facit, vt vulgus credit; vt potius, quià ſiccitati potiſſimę vigiliarum cauſæ reſtitit, melius dormientes reddit, ità vt ſæpè etiam ſtantes nictent, ac dormitent, nè dum iacentes, ac decumbentes placidiſſimè dormiant; qui breui illi ſomno meridiano ſedentes indulſerunt. hanc ſecundam expoſitionem, niſi mea eſſet, Gal. expoſitioni præponerem; quià reſpondet Hipp. doctrinæ primo de diætà num. 38. ſuprà cit. tum quià longè rationabilius eſt, nomine ſomni ſedentarij intelligi ſomnum, qui ſedendo fit, quam longum, & profundum; verum nè mearum rerum amor, & vt dici ſolet φιλαυτία decipiat, aliorum eſto iudicium, ego ad Salmacinam reuertor.

12 Probaui, hanc aquam nimium per æſtatem vigilantibus prodeſſe, quià calidam, & ſiccam intemperiem emendat; ſuccorum nitroſitatem, ac ſalſedinem dulcorat, blandos, ac ſoporiferos vapores cerebro ſubminiſtrat; pro indè potiſſimas, ac frequentiſſimas vigiliarum cauſas remouet. quod ſi quis non iſtis de cauſis vigilet; ſed vel propter febrem acutam, aut internam aliquam inflammationem, aut ingentem alicuius partis dolorem, aut frequẽtem tuſſim, & cætera id genus, is ſciat ſibi aliundè, quam ab aquà Salmacinà petendum auxilium. immò ſi aliquis, nec calidà, ſiccàque intemperie laborans, nec ſalſos, nitroſoſque humores præſeferens, non aliam inueniat ſuarum vigiliarum cauſam, præter defectum illius naturalis euaporationis, cuius munus eſt primum ſenſorium ligare, & facultati animali ceſſationem indicere; is non protinus ad aquam Salmacinam confugiat; ſed inueſtiget anteà illius euaporationis defectus cauſam, eaque inuenta, an Salmacinæ potu, an alijs præſidijs ſibi conſulendum ſit, decernat.

Aqua Salmacina nõ omnes vigilias curat

13 Etenim ſi deficiat ob nimiam ciborum copiam, quam calor natiuus concoquere nequeàt; ſibi temperet, nec alio opus habet præſidio. ſi eduliorum qualitas obſtet; cibos mu-

tet.

tet. ſi inædia; largiori victus ratione vtatur. ſi nimia calidi innati imbecillitas illi euaporationi non ſit ſatis, vt frequenter ſenibus, atque ijs, qui à morbo reconualeſcunt, accidere ſolet; Salmacinam caueat, nè puſillum, quod ſupereſt caloris, extinguatur; quod ſi cauſa lateat, & is qui de nimijs vigilijs conqueritur, vegetum obtineat calorem natiuum, ad oblata benè ſe habeat, edulijſque veſcatur, hypnoticæ euaporationi minimè ineptis, ad Salmacinæ potum audacter, & cum ſpe certæ ſalutis accedat.

14 Rectus huius aquæ vſus in immodicis vigilijs, nec poſtulat præcedētem corporis purgationem, nec deiectorij vllius pharmaci cum primis ipſius aquæ cyathis, vt ſæpè fieri ſolet, admiſtionem; niſi tamen corpus plurimà bile fuerit refertum; alioqui nimium vigilantes non ſunt vlterius inaniendi; non ſolum autem in magna copià, & ad plures libras aduerſus vigilias aqua Salmacina feliciſſimo cum ſucceſſu propinatur, verum etiam potus loco, vt ſuprà dixi, & pro diluendo vino ſaltem in cœna, ob rationes ſuprà allatas ſaluberrimè bibitur. Rectus aquæ Salmacinæ vſus in vigilijs.

Vtrum aqua Salmacina nimiam ventris ſtypticitatem corrigere poſsit Cap. XXII.

1 AESTATIS tempore ſolet quibuſdam aluus adeò adſtringi, ac reſiccari, vt non niſi Medicamẽtis irritata excernat, quæ ventris diſpoſitio, præter moleſtiam, plurimum etiam detrimenti ſolet afferre patientibus; nam ſi alui ſegnitiem negligant, in varias incidendi ægritudines periculum ſubeũt; *ventris* enim *ſtupor*, inquit Hipp. 6. Epid. ſect. 3. *omnium confuſio*; ſi verò bonæ valetudinis nimium cupidi crebris Medicamentis, vel certè irritamentis torpentem aluum ſollicitent, præter quam quod ſibi nocent, dum prodeſſe contendunt, etiam corpus in malã trahunt conſuetudinem, vt Gal. verbis vtar 3. Aph. com. 15. de his quærimus, vtrum ad aquam Salmacinam confugere poſſint, vt bonam, & facilem aluum recipiant.

Aeſtiuę ſtypticitatis cauſa.

2 Equidem diù multumque mecum cogitaui, qui fieri poſſit, vt dominantibus æſtiuis caloribus, quandò anni tempus bilioſum eſt, & plurimum bilis gignitur in viuentibus, vt notat Hipp.

Hipp.lib.de nat.Hum.num.14. aluus nihilominus adſtringatur, cum tamen bili, ille quoque præter alios vſus tribuatur à Medicis, vt à veſicà fellis in ieiunum detruſa, & in inteſtinis primæ coctionis excrementis admiſta, clyſteris inſtar interni, facultatem inteſtinorum excretricem ad deponandas fæces irritet. præterea *ſi refrigeratio* ex Hipp. doctrina 6.Epid.ſect.5.*quæ in ventre ſunt indurat*, cur æſtiua caliditas non emollit, & bonam aluum facit?

3 Difficultatem mihi auget Gal. in com. cit.ſent.Hipp.dum eam intelligendam monet, de refrigeratione partium ventris externarum, non autem internarum; nam quæ ad interiora pertingit frigiditas, lædendo cibi in ventriculo, & inteſtinis concoctionem,diſtributionemque; potius alui proluuiem, inquit ipſe,inducit;contrà externarum dumtaxat partium refrigeratio, calorem innatum in internis cogit, bonæ concoctioni, atque diſtributioni auxiliatur; proptereà aluum potius exiccat, quam emollit. auget mihi,inquam,hæc expoſitio difficultatem;nam ſi ità ſeſe res habet, cum calidum innatum æſtiuis temporibus debilius ſit, quam hyeme ex 1. Aph. 15. tunc ventres molliores, ac faciliores deberent eſſe. adhuc difficultatem auget, quod ibidem paulò poſt addit Gal. refrigerationem

ex-

externam, eà etiam de causà ventrem cogere, quià ani muſculum ſphincterem nuncupatum conſtringendo, ac conſtipando, eſt in cauſa, vt excitetur per partem poſt partem motus inteſtinorum contrarius motui eorumdem ad expellendas fæces per ſeceſſum; qui contrarius motus, eſt motus conſtrictionis ab inferioribus ad ſuperiora; cum ille ſit à ſuperioribus ad inferiora; hæc inquam ratio magis auget difficultatem, cum æſtiua caliditas motum illum conſtrictionis adeò excitare nō poſſit in muſculo ſphinctere, vt potius illum laxando, ad excrementa, impulſu, & conſtrictione inteſtinorum in ſedem detruſa, ſuſcipienda, ac eijcienda diſponat.

4 Sic laborabam in inueſtigāda cauſa æſtiuæ alui ſtypticitatis, quà ignoratà minimè decernere mihi poſſe videbar, an aquà Salmacina poſſet illam ventris duritiem corrigere, nec nè; dum mihi ſubijt in mentem, æſtiuum calorem coniungi ſiccitati, & corpora noſtra valdè exiccare; propterea Hipp. lib. de Salub. diætà nu. 1. *potibus vtendum* iubet *æſtate, quam dilutiſsimis, ac pluribus* nè corpora ſquallida fiant. ventris autem ſegnitiem, non ſemper referendam eſſe in defectum bilis inteſtina vellicātis, nec in externam frigiditatem indurantem, ſiuè id operetur

tur augendo calorem internum, ſiuè muſculum ſphincterem conſtringendo, vt vult loc. cit. Gal. ſiuè alijs modis; ſed alias etiam habere cauſas, vt inteſtini recti obtuſum ſenſum, facultatem excretricem labefactatam, vel impeditam, inteſtinorum obſtructionem, muſculorum abdominis immobilitatem, & quæ primo loco referenda erat, ipſarum fæcum nimiam reſiccationem, atque duritiem.

5 Quid enim refert, bile inteſtina morderi, facultatem excretricem ad exppellendum inſurgere, ab animali vi medijs abdominis muſculis adiuuari; ſi excrementa nimium exiccata difficillimè deſcendunt? hanc itaque excrementorum exiccationem puto, veriſſimam eſſe cauſam æſtiuæ ſtypticitatis, quæ homines alioquì benè valentes moleſtat, atque eos præſertim, qui naturà calidiores, ac ſicciores ſunt, aut exercitijs, ac laboribus indulgent, aut in victu temperantes, parum edunt, ac bibunt, abſtinentque ab ijs rebus, quæ facilè ſecedunt, vt olera, fructus horarij, & ſimiles; accedens enim temporis ſiccitati, vel natiua ſiccitas, vel laborum, vel ingeſtorum, neceſſe eſt, vt corpus vniuerſum, & excrementa potiſſimum primæ concoctionis, non mediocriter reſiccentur, cum exiccata membra à cibis omnem prorſus

hu-

humorem attrahant, & non niſi aridiſſimæ fæces remaneant in inteſtinis.

6 Inter alios effectus aquiloniæ conſtitutionis reponit Hipp lib. 3. Aph. 5. etiam aluuos duras; reddens autem Gal. in com. rationem, cur Aquilo ventres remoretur, ea ſcribit, quæ ſiccitati æſtiuæ non minus, quam aquiloniæ quadrare mihi videntur, in aquilonijs, inquit, conſtitutionibus venter inferior dura excernit, & propter temporis conſtitutionis temperaturam, quæ vergit ad ſiccitatem, toto corpore exiccato, & magis ipſo ad ſe ipſum trahente eas, quæ fiunt ex cibis humiditates. & quidem hanc eſſe veram cauſam æſtiuæ ſtypticitatis, clariſſima experientia nos docet, dum nullo melius præſidio ei ſuccurrimus, quam balneis aquæ dulcis; balneis inquam aquæ dulcis, quæ nec largioris, vel acutioris bilis generationi conducunt; nec ſenſum inteſtini recti adaugent; nec inteſtinorum ductum dilatant, ſed ſolum refrigerant, & humectant.

Aquilo vẽtres ſiccat.

7 Equidem irridere ſoleo illos Medicos, qui æſtiuæ ventris duritici pil. de Aloe, aut infuſo ſenæ, aut vinis, vel acetis ſolutiuis, & ſimilibus exiccantibus occurrunt. faciunt quidem hæc irritamenta aduerſus eam ventris adſtrictionem, quam defectus bilis ſtimulantis, aut

tor-

torpor inteſtini recti malè ſentientis parit. eam verò, quæ nimiam excrementorum ſiccitatem conſequitur, & emollientibus, ac humectantibus expugnari poſtulat, potius adaugent. non ſit ſanè medetur huic ſtypticitati Hipp. lib. de Salub. diætà n. 8. ſed omnibus poſtpoſitis Medicamentis, ſeù irritamentis, *eos, quorum alui non probum tranſitum habent*, iubet, *vt ſæpè in die comedant, omnigenis eduliјs, & obſoniјs variјs modis præparatis veſcantur, vinumque bibant duplex, aut triplex*, quæ victus ratio humectandis, multiplicandiſque fæcibus plurimum conducit. Stypticitati quomodo occurrat Hipp.

8 Hæc igitur cum ità ſe habeant, nihil mihi nunc opus eſſe cenſeo, vt decernam, an aqua Salmacina æſtiuis caloribus reſiccatas aluos emollire, ac lubricare poſſit, cum quemlibet animo me præire intelligam, & vltrò concludere, præſtantius ad eam ventris diſpoſitionem corrigendam excogitari non poſſe præſidium. quod ſi pro tollendà æſtiuà ſtypticitate, balneis aquæ dulcis tantum tribuimus; quantum nobis polliceri debebimus ex aquà Salmacinà, quę longè efficacius, ac generoſius internas noſtri corporis partes refrigerare, atque humectare poteſt? Aqua Salmacina vẽ. tris ſtypticitatem corrigit.

9 Vnus tantummodò ſcrupulus è lectorũ

 ani-

animis euellendus eſt, deductus ex vlt. Aph. ſect. 4. vbi *mictio,* inquit Hipp. *noctu plurima facta paruam ſignificat deiectionem*. Ex hoc Aph. poſſet quiſpiam argumentum ſumere, ad probandum, aquam Salmacinam potius adſtringere ventrem; quam emollire. cum enim hæc aqua, inquiet, diuretica ſit, & plurimam inducat mictionem, ex allatà Aphoriſticà doctrinà deiectionem minuet; & ad renes, veſicamque traductis humidis excrementorum partibus, fæces duriores, atque aridiores reddet.

Explicatur Hipp. Aph.

10 Verum, qui ſic argumentatur, Hipp. Aph. abutitur, nec illius intelligentiam tenet. huius igitur difficultatis ſolutio ſit recta illius Aph. interpretatio. docet quidem Hipp. mictionem conſuetà largiorem imminuere deiectionem, ſed ſuppoſità eadem victus ratione, quoad quantitatem, qualitatem, tam ciborum, quam potuum. ſi enim quis conſueto modo victitans, neque ampliori cibo indulgens, neque largiori potu ſeſe explens; nihilominus conſueto largius mingat; hic dubio procul conſueto minus deijciet, ob rationem à Gal. allatam in com. illius Aph. quià neceſſe ſit ventris humore diſtributo ad renes, minorem fieri alui deiectionem, quod ſi quis maiora pocula exiccarit, liberaliuſque comederit; plus quidem lotij emittet, ſed

an

an propterea minus etiam per aluum excernet? nequaquam; verum aucta bibendi, comedendique licentia, vtriuſque excrementi augebit menſuram.

11 Eadem ratio militat in qualitate cibi, ac potus; nam ſi quis pro cibo, potuque conſueto, Medicinali (licet in eadem quantitate) veſcatur, partim quidem diuretico, partim per aluum ſecedente, hic plus quidem conſueto minget, ſed plus etiam conſueto deijciet. quia talis eſt natura ciborum, & potuum, quos in ventrem ingeſſit. hoc tamen eſt diſcrimen inter immutatam qualitatem ciborum, & potuū, & immutatam quantitatem eorumdem in ordine ad hunc effectum augendi, vel imminuendi mictum, & ſeceſſum; quod qualitas propriè diuretica, ſiuè in cibo, ſiuè in potu auget quidem lotium, ſed minuit deiectionem. deiectoria verò identidem auget ſeceſſum, ſed minuit mictionem. illa enim trahit à ventre ad renes; hæc verò ad inteſtina, propterea ſeſe ambo imminuunt, & reuellunt. quantitas contrà, ſiuè potulentæ, ſiuè eſculentæ materiæ augens mictionem, adeò non impedit, nec imminuit ſeceſſum, vt eundem etiam potius augeat, & pariter quantitas augens deiectionem, ampliori etiam mictioni conducit.

12 Exemplo fiet res clarior. ſi quis ijſdem prorſus cibis ſibi conſuetis, atque eàdem quantitate veſcatur; amplius autem conſueto bibat; hìc propter quãtitatem potus plus quidem vrinæ emittet, non tamen propterea minus excrementi deijciet, ſed amplius; quià ex illà maiori potus quantitate, licet plus vrinæ gignatur, fieri tamen non poteſt, quin maior etiam portio relinquatur permiſta craſſis excremẽtis, quam ſi valdè minori menſurà in ventrem ingeſta fuiſſet. eodem modo ſi quis conſuetà potus quantitate vtatur, largius tamen comedat, & pluſquam conſueuerat cibi ſumat; hic plura quidem conſuetis per aluum deijciet, quià copioſior cibus, cæteris paribus copioſiora relinquit excrementa; non tamen hìc propterea minus conſueto minget; ſiquidem conſuetæ lotij menſuræ, quæ à conſueta potus, & cibi quantitate gignitur, fieri non poteſt, quin aliquid etiam humiditatis accedat à copioſiori cibi portione deuorata; ità fit, vt quantitas ingeſtorum, augens mictionem, non nihil etiam adaugeat ſeceſſum; & augens ſeceſſum non nihil etiam incrementi afferat mictioni. propterea Hipp. Aph. verificatur, ſeruata eadem prorſus victus ratione, quo ad quantitatem, & qualitatem, tam ciborum, quam potuum; vel etiam immutatà

tatà

tatà dumtaxat quo ad aliquam qualitatem propriè diureticam, ſiuè hæc reſideat in cibo, ſiuè in potu.

13 Ex his nemo eſt, qui non videat malè inferri, aquam Salmacinam minimè remouere poſſe ventris adſtrictionem, & duritiem, quià renes petat, & plurimis mictionibus per veſicam refundatur; id enim præſtat aqua Salmacina, non quià propriè diuretica ſit, ità vt ſanguinem fundat, & attenuet, ſerum ab eo ſeparet, & ad renes omnem cibi humiditatem trahat, vt faciunt diuretica propriè dicta, quæ ſunt Medicamenta calida, & ſicca; verum ob ſolam quantitatem, in quà potatur; ideò ità mictionem adauget, vt etiam excrementa alui humectare, ventrem emollire, atque ſeceſſum ad iuuare poſſit.

14 Sed quià incidit mentio vlt. Aph. ſect. 4. quęret aliquis, cur Hipp. addat illam particulam noctu. *mictio noctu plurima facta*, &c. an mictio interdiù plurima facta non habet eandem ſignificationem? eandem ſemper habere, ſiuè noctu, ſiuè interdiù plurima fiat; equidem reſponderem, & ſi quiſpiam, vel noctu, vel interdiù, largè præter conſuetudinem mingat, non mutatà victus ratione, vel immutatà ſolum ob aliquod propriè diureticum ingeſtum, is ſinè vllà du-

dubitatione, minus per aluum excernet; Hipp. tamen præciſè meminit lotij multiplicati nocturno tempore, quià diuinus ſenex in omnibus ſuis propoſitionibus ſolidæ doctrinę inhiás; maximè ſenſata ſigna ſequebatur; multò autem manifeſtius eſt, ſi lotium præter conſuetudinem nocte aliquà augeatur, quam ſi interdiù idem contingat. hoc enim tempore negocijs impediti, an quinquies, vel ſepties, an conſuetò largius, vel parcius mingamus, non animaduertimus; noctu verò ſi quis vſque ad manè ſinè mictione decumbere ſolitus, ad migendum præter morem ſtimuletur, vel ſi qui ſemel id facere ſolebat, bis, terue cogatur efficere, quique manè ſurgens dimidium matulæ replebat, integram præter cõſuetudinem impleat; id enim verò, nec fatuos ipſos, nec quos cura ſui corporis minimè fatigat, latere poteſt. propereà nocturnæ mictionis meminit Hipp. non autem diurnæ, licet ambæ eandem habeant ſignificationem. ſed hæc obiter.

15 Vt eò, vndè digreſſa eſt, noſtra reuertatur oratio, cum nullus ſuperſit dubitationi locus, an aquæ Salmacinæ potus, reſtitantes fęcum duritie ventres emollire, ac laxare poſſit, vt feliciter vſurpetur, præter alias vniuerſales animaduerſiones ad rectum eius vſum facien-

Rectus aquæ Salmacinæ vſus in alui ſtypticitate.

tes

tes, de quibus ſuprà cap.8.& 9. tria mihi hic peculiariter notanda duxi, primum, vt ventris adſtrictione laborantes aquam Salmacinam ſumant cum leui aliquo vehiculo, quod ipſam ducat adinteſtina, & cogat refundi per ſeceſſum, fugiant verò fortium ſoluentium miſtionem, nec audiendi ſunt Medici oppoſitum imperantes, putanteſque ſe voti compotes magis fieri, ſi aliquod validum ſolutiuum admiſceant quià ſic Aqua magis petat inteſtina, magiſque ſeceſſum moueat, non ſunt inquam audiendi; quia licet eò die, quo propinatur aqua, admiſtione fortium ſoluentium alterata, magis educat, aluum tamen minus humidam, minuſque lubricam relinquit; æſtiua enim ventris adſtrictio, vt ſuprà dicebamus, non proficiſcitur à defectu ſtimuli, cum bilis copiosè proueniat æſtate, ſed à defectu humiditatis, quam longè melius in inteſtina introducit aqua Salmacina cum leuiſſimo deiectorio propinata, quam alterata fortium ſoluentium miſtione, propterea cauere etiam oportet corporis purgationem antè eius vſum.

16 Secundum moneo, vt ad ſtypticitatem tollendam, aqua Salmacina, quam copioſiſſimè fieri poteſt, bibatur, cum enim optemus, vt ad inteſtina decumbat, & per ſeceſſum exeat,

ne-

neque id ex ipſius qualitatibus, vel ex admiſto leuiſſimo vehiculo, omninò conſequi poſſimus, expectandum eſt, etiam à quantitate. tertium eſt, vt affatim bibatur, & tota quantitas, quam breuiſſimo temporis interuallo fieri poteſt, ingurgitetur. eà verò epotà, non, vt alioquì fieri ſolet, multum ambulandum, ſed vel leuiſſimo vtendum exercitio; huius præcepti rationem deſumo ex Gal. in com. ſup. expoſiti Aph. vltimi ſect. 4. vbì ex aphoriſticà illà ſententià notat Gal. colligi poſſe, & fluentis alui, & nimium ſiccæ remedia; ſi enim mictio copioſa minuit ſeceſſum, & è contrà ijs, inquit Gal. quibus ſuprà modum aluus humida deprehenditur, potum minorem exhibebimus, ac prætereà illi viam ad veſicam parabimus; in quibus verò ſiccior; & plus dabimus potus, & diſtributionem, quátum fieri poterit, prohibebimus, vt igitur aqua Salmacina inteſtina petat, & ſeceſſum promoueat, impedienda eſt eius ad renes, & ambitum corporis diſtributio; hoc autem nullo modo melius conſequimur, quam ſi, præter admiſtum, vel præſumptum leue deiectorium, eam affatim propinemus, & quietem corpori eà pleno, aut certè lentiſſimum motum iniungamus.

Poſt aquæ Salmacinæ potum, nō ſemper vtendum eſt exercitio.

17 Quod aqua affatim, & ſemel copiosè pota

pota facilè petat inteſtina, & aluum moueat, patet etiam ex Hippocrate lib. de interniſ. aff. num. 38. vbi exhibens in curatione cuiuſdam morbi regij caricarum decoctionem, monet, vt non affatim multa bibatur, nè ventrem ſoluat, *bibat autem*, inquit, *non accruatam multam, ſed pro vna vice dimidiam Heminam, vt nè alui profluuium ipſi ſuccedat*.

18 Ex ijs, quæ aquæ Salmacinæ vſum prohibent, multi putant, reponendam etiam eſſe luem Veneream; cuiuſmodi ſententiam, quià non parum continet difficultatis, eique acquieſcere numquam potui, ſequenti cap. examinandam propono.

An Lues Venerea aquæ Salmacinæ potum prohibeat. Cap. XXIII.

1 NON quærimus hìc vtrum aqua Salmacina luem Veneream, & gallicam infectionem extirpare poſsit; vtinam tantæ eſſet virtutis, vt frequentes nimis, & Aſculanis per quam familiares ex hydrargyro inunctiones, etiam ijs, quibus proſunt, vitæ ſpatium contrahentes, tandem ex hac Vrbe exularent, quærimus tantum, vtrum ij, qui gal-

lico morbo ſunt affecti, ſi quà de causà videantur aquà Salmacinà indigere, ſiuè quià inſigniter ſitiant, ſiuè quià ſcabiè fœdantur, ſiuè quià renales lapillos timeant, ſiuè alijs de cauſis, ad eam tutò poſsint accedere, nec ob conceptam luem detrimenti indè quicquam pertimeſcant.

2 Cenſent aliqui, tam noxias eſſe morbo gallico laborantibus aquas omnes, quantumuis minerales, non ſolum potui aptas, verum etiam balneis dumtaxat vtiles, vt palam prædicent, homines eiuſmodi ad Balneas accedere, vt dolores, & ærumnas referant domum. verum hæc ſententia vniuerſim prolata recipi non poteſt, ac potius vulgò tribuitur, quam viris rei Medicæ peritis; cum enim ſudor, omnium Medicorum conceſſu, vt præcipuè diſputat Aurel. Minad. de Virulent. Vener. cap. 39. vel vnica, ſit, vel potiſsima luis Venereæ euacuatio, improbari non poſſunt balnea calida, & ſicca, ſudores prolicientia, totumque corpus per cutim expurgantia, vt præcipuum locum tenent ſulphurea, quæ ſi interdum non proſunt, vt notat Fracaſtor. lib. 3. de contag. morb. cur. cap. 10. non quià non conueniant, id accidit; ſed quià debiliora aliquando ſunt, quam vt pertinaciſsimi morbi reſiſtentiam ſuperent. de quibuſdam, etiam aquis mineralibus potui aptis calefacientibus

tibus, & exiccantibus,euacuationeſque promouentibus, nulla ratio afferri poteſt, cur lue Venereà infectis non ſint propinandæ.

3 Tota difficultas eſt de aquis mineralibus refrigerantibus, & humectantibus; cum enim luis Venereæ Alexipharmaca, vt lignum Guaiácum, Salſa, Saſſafras, & ſimilia caliditate, ac ſiccitate polleant, refrigerantia, & humectantia tamquam his contraria omninò fugienda, eſſe videntur; adeò vt Fracaſtor.loc.cit.nec Alexipharmaci, & ad contagiones alioqui ab ipſomet laudati frigidi pulueres, vt Bolus Armen. Sphragis, & Gemmæ, ſolum,quià frigidi ſunt, aduerſus luem gallicam quicquam valere, ſcribat; ſed ſolum pulueres, qui calidi ſunt, exhibendos velit, vt ſunt, inquit ipſe, Thus, Maſtix, Myrrha, Scordium, Dictamnum, &c.

4 Vtrum hęc ſententia Fracaſtorij non ab omnibus recipitur, nec deſunt magni viri ſentientes morbi gallici eſſentiam poſitam eſſe in occulto quodam gradu calidæ, & ſiccæ hepatis intemperiei, vt tenet Montan.in ſuo tract. de morbo gallico lect. 2. Maſſaria lib. 8.de morb. gall. & alij, quæ ſi vera eſſent, non modò ad alios morbos, & ſymptomata lui Venereæ coniuncta; ſed ad ipſam etiam luem extinguendam mirificè conferret aqua Salmacina.

5 Sed nè ingrediar difficillimam quæſt.de morbi gallici eſſentia, mihi ſatis ſit ſupponere, quod à pleriſque conceditur, idæam morbi gallici cōſiſtere in occultà, ac venenatà qualitate, quæ nec caliditas, nec frigiditas eſt, nec vlla ex primis qualitatibus, modò tamen caliditati, modò frigiditati, alijſque primis qualitatibus, prò temperaturà, & habitu laborantium corporum coniungitur. hinc fit, vt proprijs quibuſdam Alexipharmacis, quibus oppoſita ineſt occulta qualitas, vt cætera venena ſolent, expugnetur: atque hæc antidota, licet plerumque calida ſint, vt Guaiacum, &c.non tamen morbum ſuperant, quià calida ſunt, ſed occultà, quà pollent proprietate; multa enim Medicata calidiora habemus Guaiaco, nec tamen gallicam luem curant, immò ſæpiſſimè, quià lues occulta caliditati, ac ſiccitati coniungitur, niſi Guaiaci calidam naturam refrigerantibus corrigamus; maius erit nocumentum ex manifeſtis qualitatibus, quam iuuamentum ex occultis, vt Nobili cuidam Viro accidiſſe ſcribit Montan.de morb.gallic.lect.6.

Morbi gallici eſſētia.

6 Licet igitur aqua Salmacina proprium luis Venereæ Alexipharmacum non ſit, ijs tamen, qui præter occultam qualitatem, morboſà etiam calidà, & ſiccà intemperie laborant,

Lues Venerea non prohibet aquam Salmacinam.

oc-

occultamque virulentiam manifeſtis hiſce qualitatibus coniunctam habent, mirificè opitulari poteſt. nam præterquamquod huiuſmodi corporibus omnia refrigerantia, & humectantia ſemper proſunt, adeò vt, & ipſa propria luis Alexipharmaca, ſi calida fuerint, refrigerantibus correcta, ſint propinanda; omnium tamen refrigerantium maximè conferet aqua Salmacina ob admiſtos ſpiritus ſulphureos, qui non nihil Alexipharmaci aduerſus gallicam infectionem participant, vt notat Nicol. Maſſa tract. 4. de morb. gall. cap. 5. vbi refert multos; & præſertim quendam amicum ſuum ſolo potu ſulphuris pulucrati ad vnc. iij. vel iv. bis in die, manè videlicet, & veſpere plures menſes continuato, à gallicà ægritudine, etiam antiquà, & contumaci, ſinè vllo alio præſidio conualuiſſe. nihil igitur ſibi timeant ab aquà Salmacinà, qui luem Veneream contraxerunt, eamque omnium refrigerantium, & humectantium præſidiorum ſibi vel maximè proficuam, ſi iſtis qualitatibus egeant; vel ſi non egeant, alijs minus noxiam futuram, pro comperto habeant.

Sulphur Alexipharmacū luis Venereæ.

7 Formidabit fortaſsè aliquis non aquæ Salmacinæ qualitates, ſed quantitatem veritus, nè gallicà lue affecti, quorum facultates omnes naturales peſſundatæ languent, tantam aquæ

co-

copiam ferre non poſſint. ſed huiuſmodi metum tollit Doctiſſimus Manard. qui 14 epiſt. 4. decoctionem etiam ligni Guaiaci, morbo gallico laborantibus exhiberi poſſe, docet, eo modo, quo exhibentur aquæ minerales ad multas videlicet libras inter deambulandum, vt partim per vrinam, vt illæ aquæ ſolent, reddatur, qui decoctionum exhibendi modus ſummopere laudatur etiam à Maſſaria lib. 8. de morb. gallici, vbi eum appellat præclarum, maximâ admiratione dignum, teſtaturqu, ſe non ſemel eâ ratione Guaiaci decoctum propinaſſe, cum ſummâ ſemper ægrotantium facilitate, atque felicitate.

Rectus Aquæ Salmacinæ vſus in morbo gallico.

8 Illud in recto aquæ Salmacinæ vſu peculiariter animaduertere debent gallica lue infecti, vt non multum ſolliciti ſint de diureticorum, vel ſoluentium cum aquâ miſtione, quamuis & id ſæpè illis proficuum, interdum etiam neceſſarium ſit; ſeruandæ enim ſunt hac in re generales regulæ ſuprà traditæ; ſed potius vt proprijs luis Alexipharmacis aquam alteratam potent, id illis maximæ curæ debet eſſe, idque præter regulas generales ſeruare debent; cum enim gallica ſymptomata, vel omninò, vel ſaltem ex parte ab occultâ lue dependeant, & vix, aut nè vix quidem præſidijs ordinarijs cedant, niſi

niſi Alexipharmaci aliquid aduerſus luem admiſtum habeant; nec eorum ſiti, nec vigilijs, nec ventris adſtrictioni, cæteriſque id genus diſpoſitionibus, quas in alijs aqua Salmacina mirificè corrigit, multum prodeſſe poterit, niſi alicuius Alexipharmaci admiſtione, eius virtus velutì exaltetur, ac ipſimet lui quodammodo approprietur.

9 Habet quidem aqua Salmacina ab admiſtis ſpiritibus ſulphureis, vt paulò antè dixi, aliquid Alexipharmaci contrà luem Veneream; iccircò reliquis omnibus refrigerantibus, & humectantibus præſidijs præferenda eſt, in correctione gallicorum ſymptomatum, quæ frigidis, & humidis poſtulant emendari; tamen ſi magis propriorum Alexipharmacorum adiunctà virtute alteretur, efficaciorem futuram quis negabit? id autem facilè conſequemur, ſi potandæ aquę Lignum ſanctum, aut Salſam, & ſimilia incoquamus, aut (quod magis probo, ebullitione enim mineralis aquæ virtus exoluitur, ac debilitatur) ſi eadem antidota, vel in puluerem redacta primis aquæ cyathis permiſceantur; vel in Pil. ex aliquo liquore efformata, aquæ potui præmittantur, aut inter ipſa etiam pocula, vt ſemina Aniſorum ſolent, deglutiantur.

10 Delicatiores Alexipharmacam aduerſus

ſus luem Veneream aquæ Salmacinæ vim tribuent, ſi poculis ex ligno Guaiaco torno confe-ctis ipſam potent, aut poſt quam aliquot horas ex eodem ligno fabrefactis vaſculis, arctiſſimè tamen clauſis, fuerit aſſeruata; vel etiam ex ijſdem luis Alexipharmacis, ſibi chymica extracta, vt appellant; præparanda curent, quo minimę ſimul molis, & maximæ virtutis habeant antidotum; aquamque delicatiſſimè alteratam, cum voluptate ſumant; quamuis voluptatem in ipſis etiam medicamentis quærere, nimis turpe, & ingeneroſum ſit.

An ſteriles Mulieres adiumenti quicquam ad concipiendum recipere poſsint ab aqua Salmacina. Cap XXIV.

1 DVM hæc erant ſub prælo præſens caput addendum duxi, vt multis Aſculanis Mulieribus, quæ malis auibus, & iratà Iunone nupſiſſe videntur, cum

Sterilitas magis propria eſt fęminei ſexus quam maſculini.

ſteriles in coniugio viuant, ſatisfacerẽ Quamuis autem hoc infortunium interdũ patiatur Vxor, vitio mariti minimè prolificum ſemen emittentis; plerumque tamen ſterilitas mulieri tribui-

buitur, & fœminei ſexus magis propria cenſetur paſſio; ideò non modò reliqui Authores de eà agunt in tractatu de morbis mulierum; ſed Hipp. ipſe, qui de marium ſterilitate non niſi pauca quædam, & ſparſim tradidit, de fœminarum ſterilitate integrum libellum conſcripſit. quia nimirum, quamuis mas præcipua ſit generationis cauſa, tamen multò pluribus opus habet mulier, vt concipiat, quam vir, vt eam impleat.

2 Satis eſt viro fœcundum ſemen eiaculari; at mulier non modò fœcundum ſemen eiaculari debet, vt ſentit Hipp. lib. de Genit. num. 6. & Ariſt. 10. hiſt. Animal. cap. 5. quicquid contrà doceat 2. de gener. Animal. cap. 5. verum etiam ſemen ipſum recipere, vtero attrahere, retinere, fouere, menſtruo ſanguine irrorare. quod opus anguſtiſſimo temporis ſpatio, & ſummà cum voluptate explet mas; nouem integros menſes, ac multis cum laboribus, & doloribus elaborat, ac tandem in lucem edit fœmina. *Multà cuſtodià, & ſcientia opus eſt mulieribus, vt in vteris geſtent puerum, & enutriant, & vt euadant ab ipſo in partu*, inquit Hipp. lib. 1. de morb. mul. num. 42. qui tamen nunquam protulit, multà ſcientià, & cuſtodià opus habere mares, vt generent. & ſanè ſi malè reſpondeant arua colo-

Ff num

num votis, accuſare quidem ſolemus, vel pluuias intempeſtiuas, vel ſiccitates immodicas, vel tellurem ipſam dulci vligine minimè lætã, proiecta ſemina nunquam, propterea apud Hebræos, vt habemus in ſacris literis, infœcunda coniugia opprobrio quidem erant mulieribus, non autem viris; & quidem crediderim ex decem vxoribus infœcundis, vix vnam, aut alteram de ſuo viro conqueri poſſe, reliquas omnes proprij corporis vitio non parere, & dulce matris nomen non audire. niſi tamen adſint in viro manifeſta ſterilitatis indicia, vt ætas, vel decrepita nimis, vel puerilis, corporis nimia obeſitas, penis mala diſpoſitio, coeundi impotentiam, & ſimilia, quæ iuſtam, & euidentem vxori præbeant infœcunditatis excuſationem. Hæc affero nè quis mulieroſum me putet, & fœminis amiciorem, quam viris, dum illarum ſterilitati auxilium ab aqua Salmacina hìc petere cõtendo, marium ſterilitate prætermiſſà.

Muliebris ſterilitatis cauſæ.

3 Tot, & tam variæ ſunt muliebris ſterilitatis cauſæ, vt an aqua Salmacina ad mulierum fœcunditatem faciat, vel officiat, vniuerſim decerni non poſſit. ſæpè mulieres non concipiunt ob malam vteri conformationem, ſi nimirum vterus clauſus ſit, vel os, & collum habeat nimis anguſtum, aut ab alijs partibus compreſ-

preſſum, aut tuberculis impeditum, ità vt ſemen excipere non poſſit, vel contrà ſi nimis hiet, & proptereà retinendo, fouendoque ſemini ſit ineptus. vel ſi à pudendo auerſus ſit, ac diſtortus, ſi extrà prociderit, ſi vlcere aliquo laboret, aut ſi inductà magnà aliquà cicatrice, multa venularum oſcula amiſerit, aut ſuperficies eius interna læuis, & lubrica euaſerit; ſi quid præter naturam contineat, ſiuè ſanguis ſit, ſiuè pus, ſiuè ſanies, ſiuè aqua, ſiuè lapis, vt de Dyſiridis famula narrat Hipp. 5. Epid. num. 12.

4 Conceptionem prætereà impedit ſanguis ipſe menſtruus quacunque ratione à naturà deficiat, ſiuè nimis copiosè, ſiuè diminutè, ſiuè nullo modò fluat; quod ſi præter quantitatem ſpectetur qualitas, quam multis modis inquinari poteſt, vt non ſit aptus generationi? audiamus hac de re loquentem Hipp. 1. de morb. mul. nu. 24. vbi, *quicquid in menſibus*, inquit, *mali ineſt, auferre oportet. cum videlicèt pituoſi ſunt, & pelliculoſi, & ſanioſi, & tenues, aut albi, & grumoſi, & cum nigri ſunt, & carbunculoſi, aut caliginoſi, aut acres, ſalſi, turbati, purulenti*. hæ omnes cauſæ tollendæ, prohibent enim in ventre conceptum. idem dicendum eſt, & de ſemine muliebri, quod mille modis vitiari poteſt, non ſolum manifeſtis, ſed

occultis etiam qualitatibus, vt non ſequatur conceptio.

5 Præterea nullum eſt intemperiei genus, & ſimplex, & compoſitum, & cum materià, & ſinè materià, quod ſterilitatem non inducat, ſiuè pertineat ad vniuerſum fœminæ corpus, ſiuè ad vterum dumtaxat, aut ad teſtes, & vaſa ſpermatica. *Quæcunque*, inquit Hipp. 5. Aph. 62. *Frigidos, & craſſos vteros habent, non concipiunt; & quæcunque humidos habent vteros, non concipiunt; extinguitur enim in ipſis genitura; & quæcunque ſiccos magis, & adurentes, præ inopià enim alimenti corrumpitur ſemen: quæcunque verò ex vtriſque temperamentum habent moderatum, tales fæcundæ fiunt*, omitto ſterilitatis cauſas externas, ſagarum carmina, & veneficia, ac multa etiam, quæ ab Aſtrologis conſiderantur; vt propterea cum tot, ac tam variæ ſint muliebris ſterilitatis cauſæ, accedentibus etiam cauſis ſterilitatis virilis, & cum ad conceptum neceſſaria ſit in primis illa maſculini, ac fœminini ſeminis indicibilis proportio, quam nec mens concipere, nec lingua poteſt exprimere; vtique ſi ex coniugatis, nonnullæ ſteriles occurrant, nihil miror; illud ſummoperè miror, & miraculo ſimile mihi videtur, ac Naturæ vires ſuperare, ex coniugatis mulieribus, plurimas concipere, & parere,

rere. verum in ſpecierum æternà conſeruatione, & ſeminali propagatione, ſi quà alià in re Diuini Authoris quam maximè emicat ſuſpicienda nobis, & veneranda poteſtas; ideò fortaſsè ſteriles illæ mulieres, quarum fit mentio in ſacris literis, non naturalibus præſidijs, ſed fuſis ad Deum precibus,& lacrymis optatam ſobolem nitebantur, impetrare.

6 Cum ità ſe habeant muliebris ſterilitatis cauſæ, ac ſatis etiam pateant ex ſupradictis cap. præſertim 7. aquæ Salmacinæ vires, vnicuique compertum erit, quaſdam ex relatis cauſis ab hac aqua expugnari: quaſdam nè attingi quidem poſſe: non nullas verò deteriores etiam reddi; ideò ex ſterilibus, hanc aquam, vt fieri ſolet, ad plures libras potantibus, nonnullæ fœcundæ, & voti compotes fient: quædam nec vtilitatis quicquam, nec detrimenti accipient: aliæ magis, ac magis ſterileſiſcent. neque nocuam, neque proficuam hanc aquam experientur illæ ſteriles, quas vteri praua conformatio conceptu priuant. neque enim poteſt aqua Salmacina clauſum vterum aperire, hiantem claudere, diſtortum, & à pudendo auerſum dirigere, prolapſum retrahere, eius anguſtum collum dilatare, tumoribus obſitum expedire, compreſſum ſubleuare, cicatrices inductas abolere; alijs Quibus ſterilibus aqua Salmacina proſit

præ-

præſidijs opus habent huiuſmodi mulieres, quę tamen ab aquà Salmacinà neutiquam lædentur. in eàdem nan i ſunt illæ, quibus intrà vterum res præter naturam contentæ conceptioni ſunt impedimento; cum aqua Salmacina vterum deplere, vel magis replere ſanguine, pure, ſanie non poſſit; excipiendæ tamen ſunt illæ, quæ vteri hydrope laborantes, ac propterea non concipientes, ab aqua Salmacina, tamquam penitus noxia arcendæ ſunt. loquor autem hìc de Salmacinę copioſo potu, ſi enim pro inſeſſibus, vel clyſteribus vterinis eà velimus vti, ſiuè ſimplex, ſiuè aliarum rerum miſtione, vel ebullitione alterata per ſiphonem in vterum inijciatur, emundando, atque abſtergendo, latentibus in ipſa vteri cauitate ſterilitatis cauſis occurrere poſſe, non negarim.

7 Illis ſterilibus, quæ ob frigidam, & humidam vel vteri, & genitalium partium, vel totius etiam corporis intemperiem non concipiunt, non modò inutilis eſt, ſed ſemper noxius, & pernicioſus aquæ Salmacinæ potus; egent enim hæ mulieres calidis, & ſiccis auxilijs, non frigidis, & humidis, vt ad conceptum diſponantur. reliquum eſt igitur, vt illis tantum fœminis præſentaneo ad concipiendum ſit auxilio aqua Salmacina, quibus calida, & ſicca intem-

tem-

temperies ſterilitatem inducit. non ſecus, ac ſquallidæ, & arenoſæ terræ commiſſa ſemina, prius areſcunt, quam germinent, niſi tempeſtiuis imbribus præſtò ſit illis Cœlum. ità in aridum, & exuſtum vterum, quantumuis prolificum incidens ſemen, non fouetur, nec fermentatur, ſed emoritur, & aduritur, niſi frigidis, & humidis præſidijs, inter quæ non minimum locum tenet aqua Salmacina, quiſpiam opituletur.

8 Quæcunque inquit Hipp. 5. Aph. 62. ſupra cit. frigidos, ac denſos vteros habent, non concipiunt, & quæcunque humidos habent vteros, non concipiunt, extinguitur enim in ipſis genitura. his ſanè ſterilibus potius obeſt, quam prodeſt aquæ Salmacinæ potus. & quæcunque ſubdit Hipp. ſiccos magis, & aduſtos; præ inopia enim alimenti corrumpitur ſemen. his miræ efficaciæ ad concipiendum eſt aqua Salmacina, quæ corrigens caloris, & ſiccitatis exceſſum, illam temperamenti mediocritatem relinquit, quæ mater eſt fœcunditatis ex eod. Hipp. ibidem, vbi ſubdit, quæcunque verò ex vtriſque temperamentum habent moderatum tales fœcundæ fiunt. quod dicimus de calida, & ſicca vteri intemperie, intelligi etiam volumus de eadem intemperiè, ſiuè ad totum corpus

ſpe-

ſpectante, ſiuè ad aliquam tantum partem, à quà vel ſanguis, vel ſemen, vel vtrumque inquinetur. ſi enim nec vterus, nec totum corpus intemperatum ſit, ſed hepar ſolum, aut renes, aut teſtes, & hinc ſanguis menſtruus, & ſemen exurantur, acrimoniam, & ſalſedinem acquirant conceptioni incommodam, præſtantiſſimum in aquà Salmacinà inueniemus auxilium.

Salmacinæ vires in ſterilitate remouenda.

9 Neque putet quiſpiam, natiuà ſolum frigiditate, atque humiditate ad conceptum ſæpè conferre Salmacinam; ſic enim nihil amplius præſtaret, quam aqua ſimplex; ſublimiori quadam vi pollet ob admiſtos ſpiritus ſulphureos, qui quantum valeant ad ſterilitatem remouendam, manifeſta experientia teſtantur Thermæ ſulphureæ, ad quas tamquam ad fœcunditatis Aſylum, ſteriles mulieres, quæcunque ſit ſterilitatis cauſa, confugere ſolent, & plerumque felici cum ſucceſſu: teſtatur ſulphureum noſtrum Balneum, Aqua ſancta, cuius prolificas vires Aſculanæ mulieres quotannis experiuntur. quod ſi corpori extrinſecè circumfuſa tantà vi pollet ad prolem aqua ſulphurea; quantò validior erit epota, & intrà venas concepta?

10 Non reticebo hìc, quod Aſculanas mulieres exhilarare non mediocriter poteſt: aquam nimi-

nimirum Salmacinam, quamuis largè, effusèque, & ad plures heminas, vt aquæ minerales ſolent, epota, non omnibus ſterilibus proſit, immò quibuſdã noceat, & vt paulò antè diximus, concipiendi ſpem magis adimat, ſi tamen pro diluendo vino, ac coquendis ferculis, aquæ ſimplicis loco, vſurpetur, conceptionem plurimum adiuuare; omnibus ſterilibus, quæcunque ſit ſterilitatis cauſa, prodeſſe, nulli certè obeſſe, & ad maſculinos partus miram habere efficaciam.

11 Mentiar, niſi Ariſ. & Hipp. teſtimonio id ratum faciam 4. de generat. Animal. cap. 2. damnat Ariſt. aquas frigidas, & crudas, tanquam coniugatis, præſertim mulieribus noxias, propterea quod ſterilitatem faciant, aut partum fœmineum inducant. ſcripſerat hoc idem multò anteà Hipp. lib. de Aer. Aq. & loc. num. 7. vbi ex mulieribus, inquit, multæ ſteriles fiunt propter aquas, quæ duræ ſunt, ac crudæ, & frigidæ; purgationes enim menſium non contingunt commodæ, ſed paucæ, ac prauæ. cum igitur aqua Salmacina, nec frigida nimis ſit, quià multum natiuæ frigiditatis ob admiſtos ſpiritus ſulphureos amittat, vt diximus ſuprà cap. 7. nu. 2. nec cruda, nec dura poſſit appellari, quià ab ijſdem ſulphureis ſpiritibus, veluti excoquatur, & emolliatur, vt propterea, nec tardè tranſeat,

Sterilitas, & fœminei partus ab aquis crudis.

nec ſtomachum lædat, nec præcordium inflet, nec ventrem remoretur, vt notauimus ſuprà cap. 13. num. 4. neceſſe eſt, vt ad diſpoſitionem ſterilitati contrariam maximè conferat, & non modò ad fœcũditatem, ſed ad maſculinos etiam partus plurimum conducat.

12 Si quis me percontaretur, qui fiat, vt Aſculi in Vrbe aeris ſatis temperati, ac ſaluberrimi, vt ſuprà diximus cap. 3. num. 1. tam multæ ſteriles inueniantur; & ex ijs, quæ pariunt, multò plures fœmellas, quam mares pariant; cum tamen ex Aſculano Cœlo videatur virilitas influere, dum non modò viri, ſed ipſæmet mulieres Aſculanæ, vt ſuprà dicebamus cap. 5. n. 4. viriles animos gerant. Equidem nullam huius rei ſcirem probabiliorem cauſam afferre, quam aquas puteales duras, & crudas, quarum Aſculi comunis eſt vſus; cum paucæ hìc ſint familiæ, quæ fontanas aquas potent, ob puteorum comoditatem, quibus vniuerſa Ciuitas, immò quæque domus abundat.

13 Euidentiorem in ipſis, pluribus communem, ſterilitatis cauſam non inuenio. neque enim Aſculanæ mulieres, morboſæ, ac valetudinariæ viuunt, quamobrem multæ non concipiunt: non luxu perditæ, nec delicijs eneruatæ dies totos ſedent; quam ſterilitatis cauſam in

Scy-

Scythicis diuitibus mulieribus agnoſcebat Hippocrites, vt videre eſt lib. de Aer. Aq. & loc. n. 48. non crapulæ, vinoque indulgent, ità, vt ebrietate minus aptæ reddantur ad conceptum; cum ebrij ſemen infœcũdum ſtatuatur ab Ariſtotil. Probl ſect. 3. probl. 4. corporis obeſitates immodicæ, vteri diſtortiones, fluxus muliebres rarò hìc obſeruantur.

14 An quia ſint Viragines, de quibus Ariſ. 2. de gener. Animal. c. 5. parum concipiunt Aſculanę? neque hoc dici poteſt. Viragines enim eas dixerim animo, non corpore; Viragines educatione, ac diſciplina, non naturà, & temperamento; neque enim corpore gracili menſibus deſtitutæ, mento piloſo, voce graui, colore fuſco, carne durà, virilia corpora ęmulantur, ſed muliebri formà ſpecioſę, carnes molles, glabrę, genis, lacteo, roſeoque vultus colore à naturà potius, quam ab arte donatę, tot Veneres à me dicerentur, niſi inſigni earum pudicitia, quà vel Patauinas mulieres antecellunt, retardarer.

15 Ad ſummam, comunem aliam in ipſis ſterilitatis cauſam non inuenio, quam aquarum putealium vſum: ideò illis optimè conſultum ſi pro puteali, Salmacinam biberent, quæ non ſolum cæteris optimarum aquarum qualitati-

bus ad fœcunditatem , & maſculinos partus conducentibus , prædita eſt, ſed ob admiſtos etiam ſpiritus ſulphureos in adiuuando conceptu,alias omnes optimas aquas antecellit.

Quæ hactenus de aquæ Salmacinæ viribus dicta ſunt , obſeruationibus , & experimentis comprobantur. *Cap. XXV.*

1 HACTENVS argumentis,& rationibus de aquæ Salmacinæ viribus egi;hoc poſtremo cap. Empiricorum more obſeruationes,& experimenta producam. ſed vndè incipiam, aut vbi deſinam? tam multi ſeſe mihi offerunt, qui Salmacinę vires proprio periculo, ſeù potius proprio bono experti, miram eius efficaciam, vel iurati teſtantur, vt quos eligam, quos omittam, neſciò.

2 Militum quondam Dux prudens,& ſtrenuus Ianus Iannius, quem propterea quod cęteris ætate, & aquę Salmacinę vſu pręit, antè alios hìc nominò, & primum teſtem appello, omni exceptione maiorem; cum annum agat ætatis ſuæ propè octogeſimum. ſenectutemque viuat vegetam, ac verè iuuenilem, vitijs illis om-

omnibus carentem, quę propria ſolent eſſe vltimę ętatis; tantam felicitatem ſolę aquę Salmacinę palam refert acceptam, cuius potu quinquaginta iam annis æſtate ſemper vtitur. eique tantum confidit bonus ſenex, vt fateatur, ſe hyeme potiſſimum mortem formidare, ſibique eò vſque metuere, donec Salmacinę bibendæ conſuetum tempus adueniat; vbi eò ventum eſt, ſecurum viuere, & omni mortis metu liberari.

3 Franciſcus Maria Sodorinus I.V.D. Vir multiplici eruditione, & bonarum literarum cognitione clarus, cum ęſtate proximè ſuperiori, vt à calculis renalibus, & nephriticis cruciatibus, quibus eſt obnoxius, prę ſeruaretur, meo ſuaſu aquam Salmacinam potaſſet, inuitus quidem, quià ventriculo timeret, cuius imbecillitate maximè laborabat, adeò tamen non eſt læſus, vt indè potius pręter renum abſterſionem, & refrigerationem, ventriculi etiam robur, pręter expectationem recuperarit.

4 Theodorus Libertinus I.V.D. & in cauſis domi quidem dicendis, foris verò iudicãdis plurimum adhibitus, cum annis ſuperioribus, ex quibuſdam interuallis nephritide corriperetur, frequẽter calculos mingeret, ſtomacho ſemper laboraret, nec à Medicorum præſidijs multum

adiuuaretur, poſt quam aquâ Salmacinâ ęſtate quot annis cępit vti (niſi ipſe viueret, hęc dicere, tamquam ad fidem difficilia non auderem) à doloribus omninò euaſit, lapillos non amplius vidit, de ventriculi robore nemini concedit.

5 Tiberius Milianus ſpectatę Nobilitatis Vir, paucis ab hinc annis, Salmacinę minus acquieſcens, quià maiora credũtur de abſentibus, Nucerinam aquam ſibi Aſculum Nucerià aſportandam curauit, ac modò eàm, modò Salmacinam bibit, vt diſcrimen inter eas experiretur; immò cum ęſtate proximè ſuperiori ſeſe ad S. Caſſiani Thermas contuliſſet, ibique Ficuncellę nuncupatam aquam potaſſet, tandem experientià doctus concludit, & Nucerinę, & Ficuncellenſi aquam noſtram Salmacinam pręſtare, cum minus, quam illę, flatuoſà ſit, minuſque hypocondrijs oneroſa, facilius per aluum, & per veſicam exeat, & ventriculum minimè lędat.

6 Octauius Meliorius in ipſamet ętate ſenili aquę Salmacinę potu quotannis vtitur cum maximo beneficio; dyſurię enim, vt ſenes ſolent obnoxius, cum mei Patris ſuaſu, vt ipſe mihi retulit, non nullis ab hinc annis aquam Salmacinam ſumpſiſſet, tantum indè percepit vtilitatis,

tis, vt deinceps qualibet ęſtate eiuſdem potum repetat. immò Franciſca eius Vxor lectiſſima Matrona, cum ſępè autumno pertinacibus, ac diuturnis ophtalmijs corriperetur, poſtquam cępit vti aquâ Salmacinà, veluti diuinà quadam opè adiuta, oculis non amplius ęgrotauit, & cum ęſtate proximè elapſa, morbum non amplius timeret, ac proptereà aquę Salmacinę conſuetum potum omiſiſſet, vix ineunte autumno in ſolitas incidit ophtalmias, quę ad initium vſque hyemis, multis incaſſum tentatis auxilijs, ipſam immaniter vexarunt.

7 Franciſcus Palumberius podagrę valdè obnoxius, ac pedibus adeò captus, vt ferè nunquam liberè ambulare poſſet; cum ęſtate proximè elapsà, de ſiti, ac ciborum deiecto appetitu conquereretur, ac Salmacinę vires paſſim audiret extolli, à me petijt, an & ipſe tam facili, ac iucundo pręſidio, ſine vllà detrimenti ſuſpicione vti poſſet, ſibi enim à podagricis doloribus metuebat. reſpondi, non modò aduerſus ſitim, & inappetentiam, ſed aduerſus ipſam etiam podagram, miris facultatibus aquam Salmacinam pollere; iccircò, vt eam alacriter, ac ſine omni metu biberet, ſuaſi: non mediocri ſibi emolumento futuram, obtemperauit ipſe; ego verò vates fui; non modò enim paucis poſt diebus

ex-

extinctà ſiti, excitatoque cibi appetitu, virium omnium robur, bonamque valetudinem confirmauit, ſed toto etiam autumno ab omni podagrę inuaſione, prętcr conſuetudinem, & expectationem vixit immunis.

8 Multi difficili ſcabie diu fœdati, fruſtra alijs tentatis auxilijs ab aquę Salmacinę potu, breui, ac facilè cutis nitorem receperunt. plures noui morbo gallico affectos Salmacinam ſaluberrimè bibiſſe, quos tamen non nomino, nè turpes aliorum morbos detegam. redijt ſuperiore æſtate hùc ex Vrbe iuuenis quidam, gallicis puſtulis plenus, capite, & ſupercilijs ſemiglaber, fronte potiſſimum, ac genis rubris puſtulis deſœdatus, vt conſpici verè erubeſceret, duplici rubore ſuffuſus, morbi, & verecundiæ, me ſtatim conſuluit, vt ſibi conſulerem, narrans Romæ omnia tentaſſe, vt à turpi lue euaderet, pluries vſum fuiſſe purgationibus, etiam ex repetitis pulueribus catharticis, decoctiones Guaiaci, & Salſæ parilliæ ad ſatietatem vſque potaſſe, ſemel, & iterum multos dies intrà hypocauſta latitans copioſiſſimis ſudoribus diffluiſſe, ſed fruſtrà, Aſculum tandem redijſſe, vt linimento ex hydrargyro vteretur. Equidem, quia caniculares dies generoſum illud pręſidium non permittebant, ſuaſi, vt interim, dum

dum anni tempus ferret, Salmacinam ad plures libras, vt fieri ſolet, biberet, præſumpto cocleare Electuarij parati ex conſerua florum Boraginis, & puluere Guayaci. vix octo, vel decem dies paruit, cum præter ſuam, & meam expectationem puſtulæ, & morboſi faciei colores euanuerunt, & ſine vllo alio linimento integrè conualuit, ac nunc ſaniſſimè viuit, vt nihil miri ſit, ſi Medici omnes, quotquot Aſculi Medicinam fecerunt, & ad quos aquæ Salmacinæ notitia potuit peruenire, eam familiariter vſurparint, & in pretio habuerint.

9 Ricciardus Ricciardius à monte Gallo Medicus doctiſſimus, & experientiſſimus, cuius authoritatem plurimi facit Baccius lib. 4. de Therm. cap. 13. in deſcriptione noſtri Balnei Aquæ ſanctæ, ob longam experientiam, quam de aquis mineralibus Aſculanis habebat, de aquà Salmacinà mira, & incredibilia prędicabat.

10 Paulus Theſoratus inter huius Prouinciæ Medicos ſuà tempeſtate nemini ſecundus, qui cum ego eſſem puer, Aſculi Medicinam faciebat, aquà Salmacinà paſſim, & frequentiſſimè vtebatur. eius Collega Paſquales Petruccius, non modò vtebatur, ſed de eà, vt audio, commentariolum compoſuit, quamuis morte præuentus non ediderit.

11 Antonius Franciſcus Durantes Aſſiſias, nunc Medicus Reatinus, qui decem annos, & amplius, magnà cum laudè, & ſummà Ciuium approbatione Medicam Artem hìc exercuit, acerrimi Vir iudicij, ac morum integritate conſpicuus, nullum frequentius, ac familiarius, Medicamentum habebat æſtate, quam aquam Salmacinam.

12 Vincentius Aloyſius Septempedanus, nunc Medicus Fanenſis, eximiæ literaturæ, & non vulgaris eloquentiæ Vir, tantum tribuebat huic aquæ, dum annis proximè elapſis hìc medicabatur, vt eam Nucerinæ, vt audio, longè anteponeret.

13 Iacobus Brunus Collega meus prudétiſſimus, ac rei Medicæ peritiſſimus, Curtij filius, Medici ſuà tempeſtate Anconitani celeberrimi, ac præclariſſimi appellati à Mercuriali tom. 2. conſil. 13. non modò aquà Salmacinà vtitur, ſed de eius viribus, & effectibus, ſæpè mecum agit non ſine admiratione.

14 Proſperus Traſius, Franciſcus Febbeus, & Diamantes Bellaltus, Medici omnes Aſculani Doctiſſimi, & Excellentiſſimi, quos mei amantiſſimos vnicè diligo, & hic honoris causà nomino, omnes me longè frequentius aquam Salmacinam exhibent, meque de eà ieiunè

iunè potius, ac tenuiter, quam pro dignitate egiſſe, conqueri poſſunt.

15 Antonius Vannotius Genitor meus, recolendæ mihi ſemper memoriæ, ſeptuaginta integros annos, quos in Medicinà facienda conſumpſit; obijt enim duobus ab hinc annis, nonagenario maior, ſemper aquam Salmacinam exhibuit; eam vbicumque Medicam Artem exercuit aſportandam curauit, ſeque illam propinaſſe, nunquam pœnituiſſe, pluries dicentem audiui.

16 Non eſt hìc prætereundum, quod elapſis diebus mihi retulit prædictus D. Traſius; ſe nimirum huius aquæ beneficio, lucis vſurà frui, cum enim eius mater eſſet ſterilis, & plures annos viro iuncta ſinè prole viueret; tandem ſolo aquæ Salmacinæ potu fœcunditatem adepta, numeroſam maſculinam ſobolem enixa fuit.

17 Tanta eſt aquæ Salmacinæ Virtus, tam ſalubris eius Natura. Vtinam tantum meis ſcriptis, atque lucubrationibus confiderem, vt quod amœniſſimo fonti ſuo Blanduſiæ pollicebatur Horatius, ſaluberrimo fonti noſtro Salmacinę ominari poſſem; eoque omine tractationem hanc auderem claudere. Vtinam meis hiſce laboribus excitetur ſaltem aliquis, qui

ingenio maior, & eloquentia felicior, quod ego non audeo, magnà ſpe plenus ipſe præſtet, ac de Salmacinæ laudibus verba facturus, ad Horatij imitationem 3.Carm.ode 13.audeat præcinere.

O' Fons Salmacinæ ſplendidior vitro;
Fies Nobilium tu quoque Fontium,
Me dicente, cauis impoſitum Nemus
Saxis; vndè ſalubres
Lymphæ deſiliunt tuæ.

F I N I S.

INDEX RERVM,

quæ in hoc opere continentur.

A

Aluminoſæ aquæ virtus. Cap. VI. n. 2

Animi paſſiones vitandæ in potu Salmacinæ. Cap. X. n. 11

Aqua Salmacina hepar maximè refrigerat. Cap. XIV. n. 12

Aqua Salmacina non lædit ventriculum. Cap. XIV. n. 13

Aqua Salmacina prouocat arenularum mictionem. Cap. XV. n. 21

Aqua Salmacina non æque prodeſt omnibus ſcabioſis. Cap. XVII. n. 1

Aqua Salmacina an tollat obſtructiones. Cap. XVII. n. 19

Aqua Salmacina mirificè ſitim extinguit. Cap. XIX. n. 4

Aqua Salmacina præſeruat à podagrà. Cap. XVIII. n. 10

Aqua Salmacina ſomnum conciliat. Cap. XXI. n. 6

Aqua Salmacina vigilias curat. Cap. XXI. n. 12

Aqua Salmacina ſtypticitatem remouet. Cap. XXII. n. 8

Aqua

Aqua Salmacina non ſemper requirit exercitium. Cap.XXII.n.16
Aqua Salmacina Nucerinæ, & Ficuncellenſi præferenda. Cap.XXIV.n. 5
Aqua ſimplex, num aquarum mineralium more propinari poſſit. Cap.XIII.n. 3
Aquæ ſulphureæ non omnes potui aptæ. Cap.VIII.n. 3
Aquæ minerales antiquis cognitæ, & vſurpatæ. Cap.VIII.n. 3
Aqua pretioſiſſima res. Cap.I.n.21
Aqua occultas etiam vires participat. Cap.I.n.19
Aquæ quo pacto euadant minerales. Cap.II.n. 8
Aquæ vires. Cap.I.n.18
Aquæ Natura ; & Potentia. Cap.I.n. 1
Aquarum effectus admirandi. Cap.I.n. 3
Aquæ lapideſcentes. Cap.I.n. 3
Aquæ etiam aes & ferrum corrodentes. Cap.I.n. 3
Aquæ ad religionem vſque admirabiles. Cap.I.n. 4
Aquæ vſus maximus in Medicina. Cap.I.n. 6
Aquilo ventres ſiccat. Cap.XXII.n. 6
Aſculanæ Aquæ minerales. Cap.III.n. 3
Aſculani Aeris qualitates, & ſalubritas. Cap.III n. 1
Aſculanorum mores. Cap.III. n. 2
Aſculanarum mulierum laudes. Cap.XXIV.n.13
Aſculi ſitus. Cap.III.n. 1

Aſcu-

Aſculum vndè dictum. Cap.IV.n. 5
Aſculanis inſignibus angues implicati. Cap.IV.n. 5

B

Baianæ Aquæ. Cap.VI.n. 5
Bilis clyſter internus dicitur. Cap.XXII.n. 2
Bilis venas ingreſſa, quomodo corrumpat ſanguinem. Cap.XVIII.n. 4
Biſextilis annus, an aquas minerales immutet. Cap.IX.n.11
Blanduſiæ fons apud Horatium. Cap.XXV.n.17

C

Calculorum cauſa efficiens. Cap.XV. n. 6
Calculorum materia. Cap.XV.n. 5
Calculoſi cur Romæ nunc frequentiores. Cap.XV.n.20
Capite imbecilles abſtineant à potu Salmacinæ. Cap.XII. n.14
Capitis dolor, et grauitas aquâ ſedatur. Cap.I.n. 8
Capitis imbecillitas aquâ tollitur. Cap.I. n. 8
Caput facilè attrabit. Cap.XII.n.11
Caput quomodo defendendum, nè lædatur à Salmacinâ. Cap.XII.n.13
Cibi faſtidium aquâ tollitur. Cap.I. n.13
Cibi vſurpandi in potu Aquæ Salmacinæ. Cap.X.n. 2

Ci-

Cicerum alborum vires. Cap.XV. n.13

Cicerum nigrorum vires. Cap. XV. n.15

Cholera aquâ curatur. Cap.I. n.13

Cn: Plancus ab Aquâ Salmacinâ ſanatus. Cap.IV. n. 3

Colici dolores aquâ ſedantur. Cap.I. n.14

Conuulſiones aquâ curantur. Cap.I. n. 9

Crudi humores ſæpè ſalſi, nitroſi, & ignei. Cap.XVIII. n. 7

Cruditates podagræ cauſa. Cap.XVIII. n. 6

D

Damna, quæ ſequuntur malum Salmacinæ vſum. Cap.XI. n. 3

Deiectoria aquæ Salmacinæ permiſceri ſolita. Cap.VIII. n. 8

Deiectoria cur Aquæ Salmacinæ miſcenda. Cap.VIII. n. 8

Deiectoria quomodo Salmacinæ miſceantur. Cap.VIII. n. 9

Dentibus aqua vtilis. Cap.I. n.10

Deſtillationes aquâ curantur. Cap.I. n. 8

Deſtillatio non ſemper patefacit Aquæ mineram. Cap.II. n.12

Deſtillationes ſalſæ non ſemper ab hepatis caliditate. Cap.XIV. n. 9

Diuretica miſcentur interdum aquæ Salmacinæ. Cap.VIII. n.10

Diu-

Diuretica quando ſuſpecta in calculis renalibus. Cap.XV. n.11
Diuretica noxia veſicæ calculo laborantibus. Cap.XVI. n. 7
Diurnus ſomnus nonnullis æſtate concedendus. Cap.XXI. n. 9
Diurnus ſomnus an permittendus in potu Salmacinæ. Cap.X. n. 5
Dolores ſedantia. Cap.XII. n. 6
Dolores ventris cur interdum à Salmacina excitentur. Cap.XII. n. 2
Doloris à Salmacina excitati vt ſedentur. Cap.XII. n. 7
Dyſenteria aqua curatur. Cap.I. n.14
Dyſenteriæ fiunt à qualit.occulta. Cap.XIV. n. 7
Dyſenteriæ, ac diarrhoiæ non ſemper à calore hepatis. Cap.XIV. n. 7

E

Ægrotantibus Aquæ minerales etiam pro potu vtiles. Cap.II. n. 3
Æſculapij Templum in ripa Tyberis. Cap.I. n.20
Æſculapius Aſculi adorabatur. Cap.IV. n. 5
Ætas ſenilis cur pruritui, & ſcabiei obnoxia. Cap.XVII. n.11
Errores multi committi poſſunt in vſu Salmacinæ. Cap.XI. n. 2

Ii *Eunu-*

Eunuchi podagrà non laborant. Cap.XVIII.n. 9
Experimenta aquæ Salmacinæ. Cap.XXV.n. 1
Explicatur Hipp.tex.in lib.de Aer. Aq.&
loc. Cap.XIII. n.7.8
Explicatur vlt. Aph.ſect.4. Cap.XXII.n. 2
Extremorum calor à ſplene. Cap.XIV.n. 3

F

Fames quid ſit apud Ariſ. Cap.XX.n. 1
Febres curantur aquâ. Cap.I.n. 7
Febris ardentis cauſa apud Hipp. Cap.XIX.n. 6
Fœminæ rarò laborant podagrà. Cap.XVIII.n. 9
Fomenta calida dolores ſedant. Cap.XII.n. 2
Fomenta optimè parantur ex aqua. Cap.I.n.12.
Fiſtulæ perinæi non ſemper ab hepatis calore. Cap.XIV.n. 4
Flatuum cauſa. Cap.XII.n. 3
Flatus dolorum cauſa. Cap.XII.n. 2
Flatuoſitatem aquæ Salmacinæ corrigentia. Cap.VIII.n.11
Fluxiones concoctione potius, quam euacuatione curantur. Cap.XVIII.n.15
Frequentia accedentium ad aquam Salmacinam. Cap.IV.n. 3
Frangentia veſicæ calculos non dantur. Cap.XVI.n. 4

Fri-

Frigida lædunt veſicas calculoſas. Cap.XVI.n.12
Fulginiani Caſtri fons, & eius natura. Cap.VII.n.10

G

GAllico morbo non omnes Aquæ minerales noxiæ. Cap.XXIII.n. 2
Gallici morbi eſſentia. Cap.XXIII.n. 5
Grauedines aquà curantur. Cap.I.n. 8
Guaiaci exhibendi modus ex Manardo. Cap.XXIII.n. 7
Guaiacum gracilibus, & calidis noxium. Cap.XXIII.n. 5
Guaiacum cur morbum gallicum curet. Cap.XXIII.n. 5

H

HErmaphroditi fabula. Cap.V.n. 3
Hipp. etiam ad leniter purgandum vtebatur ſcamonio. Cap.XV.n.18
Hipp. remedia iam obſoleuerunt. Cap.IV.n. 9
Hipp. vix meminit calidæ iecoris intemperiei. Cap.XIV.n.10
Hora Salmacinæ ſumendæ. Cap.IX.n. 7
Hydrophobia aquà curatur. Cap.I.n. 9

Hydropici interdum curantur aquâ. Cap.I. n.20
Hyeme etiam aqua Salmacina ſumi poteſt. Cap.IX. n.6

I

Iecur pati poteſt calidam intemperiem. Cap.XIV. n. 1
Iecoris calida intemperies, non eſt morbus ità frequens, vt vulgus Medicorum credit. Cap.XIV. n. 1
Inappetentia ſinè ſiti non tollitur aqua Salmacina. Cap.XX. n. 5
Inappetentiæ cauſa. Cap.XX. n. 5
Inappetentiæ remedia. Cap.XX. n. 5
Inunctiones ex hydrargyro cauendæ. Cap.XXIII. n. 1

L

Labiorum fiſſura non ſemper ab hepatis calore. Cap.XIV. n. 4
Lac prodagricis vtile. Cap.XVIII. n.10
Laſsitudines aquâ tolluntur. Cap.I. n.10
Leonellus Pius octogenarius à ſcabie curatus. Cap.XVII. n. 16
Lienis vſus. Cap.XVII. n. 6

Lipo-

Lipothymia aquâ ſedatur. Cap.I. n.12
Lippitudines curantur aquâ. Cap.I. n.8
Locus ſumendi Salmacinam. Cap.IX. n.12
Lues Venerea non prohibet aquam Salmacinam. Cap.XXIII. n. 6

M

Mare Scoticum aues generat. Cap.I. n. 3
Mœcenas tres annos vixit ſinè ſomno. Cap.XXI. n. 2
Medicamenta aquæ Salmacinæ immiſcenda. Cap.VIII. n. 7
Medicamenta ſimplicia compoſitis præferenda. Cap.IV. n.11
Medicinæ inconſtantia. Cap.IV. n. 9
Minerales aquæ cur medicatæ dictæ. Cap.II. n. 1
Minerales aquæ plurimæ. Cap.II. n. 2
Minerales aquæ dupliciter mineram continent. Cap.II. n.10
Mineralium aquarum vires à minera dependent. Cap.II. n. 4
Mineralis aquæ minera quomodo inueſtiganda. Cap.II. n.11
Mineralibus aquis, antiqui miſcebant ſalem. Cap.VIII. n.12.
Minerales aquæ interdum retinentur ob copiam. Cap.XI. n. 6

Mi-

Mineralium aquarum retentio, quam ſit noxia. Cap.XI. n. 4
Mineralium aquarum retentio, non ſemper morboſa. Cap.XI. n.10
Minerales aquæ duræ, ac difficilis tranſitus. Cap.XIII. n. 1
Morbi incurabiles remedijs exaſperantur. Cap.XVII. n.15
Morbi particulares tam interni, quam externi curantur aquà. Cap.I. n.8.17
Morbi, qui interdum ſequuntur aquæ Salmacinæ potum. Cap.XI. n. 14
Motus, & quies ſeruanda in potu aquæ Salmacinæ. Cap.X. n.6.

N

Narcotica virtus in quo conſiſtat. Cap.XXI. n. 7
Naturæ prouidentia in aquis mineralibus. Cap.VI. n.6
Nephritici dolores aquà curantur, et præcauentur. Cap.I. n.15
Nephritis non curatur aquà Salmacinà. Cap.XV. n. 1
Nephritis præcauètur aquà Salmacinà. Cap. XV. n. 6

Ner-

Neruorum diſtentiones aqua curat. Cap.I. *n.* 9
Niuis vſus Podagras excitat. Cap.XVIII. *n.* 3
Nizzolius decem annos numquam dormiuit. Cap.XXI. *n.* 2

O

OBſtructiones hypocondriorum prohibent aquæ Salmacinæ potum. Cap.XIX. *n.* 9
Obſtructiones interdum non prohibent aquæ Salmacinæ potum. Cap.XVII. *n.* 19
Oculis valdè confert aqua. Cap.I. *n.* 10
Obſeruationes quædam de aquà Salmacinà. Cap.XXIII. *n.* 1
Ophthalmiæ non ſemper fiunt ob hepatis calore. Cap.XIV. *n.* 5
Opium cur ſomniferum. Cap.XXI. *n.* 7
Ozænæ non ſemper fiunt ab hepatis calore. Cap.XIV. *n.* 5

P

PIil. de Aloe, cui ventris adſtrictioni conducant. Cap. XXII. *n.* 7
Piſces fatidici. Cap.I. *n.* 4
Phrenitis aquà curatur. Cap.I. *n.* 8
Poda-

Podagrorum infinita multitudo tempore Gal. Cap.XVIII.n. 1
Podagricis maximè confert aqua. Cap.I. n.16
Podagræ cauſa. Cap.XVIII.n. 3
Podagra omnis à cauſa calidà. Cap.XVIII.n. 5
Podagra quomodo dicatur, modò bilioſa, modo pituitoſa. Cap.XVIII.n. 5
Podagricis ſudor vtilis. XVIII.n.11
Podagra quomodo præcaueatur. Cap.XVIII.n.12
Podagricis an vtiliora ſint refrigerantia, & attemperantia, vel calefacientia, & exiccantia. Cap.XVIII.n.12
Podagra ſolo aquæ potu interdum curatur. Cap.XVIII.n.17
Prandium conſuetum intermiſſum quam noceat. Cap.X. n. 4
Praxis medica difficillima. Cap.XI.n. 1
Præſeruatio quid ſit. Cap.XV.n. 5
Pruritus non ſemper fit ab hepatis calore. Cap.XIV.n. 7
Prohibentia aquæ Salmacinæ potum. Cap.XI.n. 8
Ptiſſana cur laudata ab Hipp. in morbis acutis. Cap.XIII.n. 4
Pueri cur non obnoxij calculis renalibus. Cap.XV.n. 7
Pueri rarò laborant podagrà. Cap.XVIII. n. 9

Pul-

Puluis millepedum ad frangendum lapidem. Cap. XVI. n. 5
Purgatio totius num neceſſaria antè potum Salmacinæ. Cap.X. n. 8
Purgationes validæ calculoſis noxiæ. Cap.XV. n. 10

Q

QVantitas Aquæ Salmacinæ potandæ. Cap.IX. n. 1
Quantitas cibi, & potus adiuuat ſeceſſum. Cap.II. n. 6
Quantitas ciborum vſurpanda in potu Salmacinæ. Cap.X. n. 4
Quibus ætatibus Aqua Salmacina propinanda. Cap.IX. n. 9
Quot dies Aqua Salmacina ſumenda. Cap.IX. n. 8

R

REctus Aquæ Salmacinæ vſus in Podagris. Cap.XVIII. n.16
Rectus Aquæ Salmacinæ vſus in ſiticuloſis. Cap.XIX. n.11
Rectus Aquæ Salmacinæ vſus in vigilijs. Cap.XXI. n.14
Rectus Aquæ Salmacinæ vſus in alui ſty-

picitate. Cap.XXII.n.15
Rectus Aquæ Salmacinæ vſus in morbo gallico. Cap.XXIII.n. 8
Rectus Aquæ Salmacinæ vſus in calore hepatis. Cap.XIV.n.14
Rectus aquæ Salmacinæ vſus in renum calculis. Cap.XV.n.10
Rectus Aquæ Salmacinæ vſus in ſcabie. Cap.XVII.n. [illegible]
Rectus medicamentorum vſus plurimi faciendus. Cap.VIII.n. 1
Rectus medicamentorum vſus in quibus conſiſtat. Cap.VIII.n. 2
Renum ſiccitas multum confert generationi calculorum. Cap.XV.n. 7
Riuus in Iudeà Sabbatis omnibus ſiccatur. Cap.I.n. 4

S

Salmacinæ Aquæ exortus. Cap.III.n. 4
Salmacinæ Aquæ qualitates. Cap.III.n. 4
Salmacinæ Aquæ copia. Cap.III.n. 5
Salmacinæ fontis deſcriptio. Cap.III.n. 6
Salmacinæ fons antiquus. Cap.IV.n. 1
Salmacinæ Aquæ ductus. Cap.IV.n. 2
Salmacinæ fama, quomodo paulatim cœpit im-

imminui. Cap.IV. n. 7
Salmacinæ Aquæ apud Plin. Cap.V. n. 1
Salmacis fons in Cariâ, & eius Natura. Cap.V. n. 2
Salmacis Nimphæ fabula. Cap.V. n. 3
Salmacina vndè dicta. Cap.V. n. 5
Salmacinæ nomen nō valdè antiquum. Cap.V. n. 8
Salmacinæ minera. Cap.VI. n. 1
Salmacinæ minera difficilis cognitionis. Cap.VI. n. 4
Salmacinæ cineres poſt deſtillationē. Cap.VI. n. 4
Salmacina cur non feruens ſcaturiat. Cap.VI. n. 5
Salmacinæ Aquæ vndè decidantur. Cap.VI. n. 8
Salmacina optimæ aquæ notas habet. Cap.VI. n. 10
Salmacina aliquandiu aſſeruata odorem amittit. Cap.VI. n. 10
Salmacina, quomodo conſeruanda. Cap.VI. n. 12
Salmacina poteſt quicquid poteſt aqua ſimplex. Cap.VII. n. 1
Salmacinæ vires, & facultates. Cap.VII. n. 2
Salmacina minus frigida, quam aqua ſimplex. Cap.VII. n. 2
Salmacina ſpecificum ſcabiei præſidium. Cap.VII. n. 5
Salmacina valet contrà venena. Cap.VII. n. 5
Salmacina veſicæ calculos nō curat. Cap.XVI. n. 3
Salmacinæ laudes. Cap.XII. n. 4

Salmacina cur interdum flatuoſa. Cap.XII. n. 5
Salmacinæ flatuoſitatē corrigentia. Cap.XII. n. 5
Salmacina nocet capiti. Cap.XII. n.10
Salmacina facilè per vrinam trāſit. Cap.VII. n. 4
Salmacinæ vires falsò attributæ. Cap.VII. n. 8
Salmacina per quas vias tranſeat. Cap.VIII. n. 5
Salmacina quas corporis partes potiſſimum afficiat. Cap.VIII. n. 4
Salmacina non inflat hypocondria. Cap.VII. n. 4
Salmacinæ fons fatidicus. Cap.VII. n.10
Salmacina grauius olet hyeme, quam æſtate. Cap.VII. n.12
Salmacinā vtendi modus. Cap.VIII. n. 3
Salmacinæ retentionis cauſæ. Cap.XI. n. 5
Salmacina retēta quomodo educatur. Cap.XI. n. 9
Sanguinis profluuia aquā cohibentur. Cap.I. n.11
Sanis mineralium Aquarum potus noxius. Cap.II. n. 3
Scabies non ſemper pendet ab hepatis calore. Cap.XIV. n. 3
Scabiei cauſa proxima, & immediata. Cap.XVII. n. 3
Scabiei cauſæ antecedentes, & procatarcticæ. Cap.XVII. n. 4
Scabies interdum eſt morbus, interdum abſceſſus. Cap.XVII. n.17
Scabies ſæpè ſolis linimentis tutò curatur.

tur. Cap.XVII. n.24
Sitis non ſemper indicat hepatis calorem. Cap.XIV. n. 6
Sitis multorum morborum cauſa. Cap.XIX. n. 6
Siticuloſis quomodo medeatur Hipp. Cap.XIX. n. 6
Sitis quid ſit apud Aris. Cap.XX. n.10
Sitis proxima cauſa. Cap.XIX. n.11
Somnus Animalibus neceſſarius. Cap.XXI. n. 3
Somni cauſa. Cap.XXI. n. 5
Spiritus ſulphurei adiuuant Salmacina penetrationem. Cap.XIII. n. 4
Sterilitas magis propria fœminarum, quam marium. Cap.XXIV. n. 1
Sterilitatis cauſa in muliere. Cap.XXIV. n. 3
Sterilibus Aqua Salmacina vtilis. Cap.XXIV. n. 6
Sterilitas, & foeminei partus ab aquis crudis. Cap.XXIV. n.11
Sulphur quid apud chimicos. Cap.VII. n. 6
Sulphuris laudes. Cap.VII. n. 7
Sulphur albicantes reddit aquas. Cap.VI. n. 2
Sulphur dulcorem quendam aquis tribuit. Cap.VI. n. 3
Sulphur prodeſt purulentis. Cap.VI. n. 3
Sulphuris deſcriptio ex Quercetano. Cap.VI. n. 3
Sulphur odorabilium primum. Cap.VI. n. 9
Sulphur luis venereæ Alexipharma-

cum.

cum. Cap.XXIII. n. 6
Syncopem aqua ſedat. Cap.I. n. 12

T

Tabidis aqua vtiliſſima. Cap.I. n. 8
Tempus aquam Salmacinam ſumendi. Cap.IX. n. 4
Teneſmus aquâ curatur. Cap.I. n. 15
Terra aquas marinas dulcorat. Cap.VI. n. 8
Tetuciana aqua an ventrem ſoluat, vel adſtringat. Cap.II. n. 5
Tonſillæ curantur aqua. Cap.I. n. 8
Treſinum Caſtrum vndè dictum. Cap.IV. n. 8
Tyberis aqua cur probetur aduerſus calculos. Cap.XV. n. 20

V

Valerius Cordus ab aquæ potu interfectus. Cap.XIX. n. 3
Vapores aſcendunt in cerebrum per venas externas. Cap.XII. n. 14
Venæ ſectio an neceſſaria antè potum Salmacinæ. Cap.X. n. 10
Ventriculi imbecillitas aquâ emendatur. Cap.I. n. 13
Ven-

Ventriculus eſt animalibus, vt terra arboribus. Cap.XII. n. 3
Ventriculi dilatatio multum facit ad bonam appetentiam. Cap.XX. n. 3
Ventris adſtrictionis cauſæ. Cap.XXII. n. 2
Ventris adſtrictioni quomodò medeatur Hipp. Cap.XXII. n. 7
Venus prohibenda in potu Aquæ Salmacinæ. Cap.X. n. 7
Vertiginoſis valdè prodeſt aqua. Cap.I. n. 8
Vertiginis cauſa. Cap.XIV. n. 8
Veſicæ calculus à calculo renali. Cap. XVI. n. 1
Veſicæ calculo laborantibus aqua Salmacina nocet. Cap.XVI. n. 7
Veſicæ calculo quomodo aqua Salmacina interdum proſit. Cap.XVI. n. 13
Vigiliæ morboſæ aquà ſedantur. Cap.I. n. 9
Vigiliarum nocumenta. Cap.XXI. n. 1
Vigiliæ maximè infeſtare ſolent æſtate. Cap.XXI. n. 4
Vigiliarum cauſæ. Cap.XXI. n. 5
Vinum vſurpandum in aquæ Salmacinæ potu. Cap.X. n. 3
Vinum nocet capiti. Cap.XII. n. 10
Vinum, & Venus Podagræ parentes. Cap.XVIII. n. 9
Vomitoria ex aquà ſimplici optimè pa-

ran-

rantur . Cap.I. n.13
Vrinæ ardor non ſemper ab hepatis calore . Cap.XIV. n. 7
Vulnera curantur aquâ. Cap.I. n.17

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FINIS.